[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

cittere in ant nuveto

LAVRENTII GAMBARAE BRIXIANI

RERVM SACRARVM Libri Tres.

IDYLLIORVM LIBER VNVS

EDITIO COPIOSIOR



ROMAE, Apud haeredes Antonij Bladij, Impressores Camerales. 1577.

IACOBVS PACTVS
Siculus Mamertinus
AD LAVRENTIVM GAMBARAM.

Falsò olim ſacros dixerunt ſecula vates
Impia; qui turpes, qui res cecinere profanas:
Fictaq; carminibus celebrarunt numina vanis
At tu Cælicolas toto qui pectore, Patremq;
Aeternũ celebras per ſacra hæc carmina; verè
Es ſacer; æternamq; mereris Gambara laudẽ.

Si quid imprudenter fortaſſe dixero, quod ab Eccleſiæ Romanæ doctrina, vel conſuetudine ſit alienum, id præter animi mei ſentẽtiam dictum, indictum eſſe uolo: meque, ſcriptaque mea eiuſdem Eccleſiæ iudicio, & correctioni ſubijcio.

Laur. Gamb. Brix.

LAVRENTII GAMBARAE BRIXIANI

RERVM SACRARVM

Liber Primus.

ARGVMENTVM.

Precatur Deum, vt sibi adsit res sacras scribenti iussu Alexandri Cardinalis Farnesij.

SVmme Pater, qui Cælũ ingens, terramq; creasti,
Et Solem, Lunæque globum, fulgentiaque astra:
Formastique hominem ex limo; cui subdere visum
Cuncta fuit, quæ terra creat, quæque educat æquor;
Et quæ pascuntur virides animalia siluas.
Tu rege me ignarumque viæ, rerumque sacrarum;
Vt laude insigni possim super æthera ferre;
Qui Christi ob nomen pœnas subiere, necemque.
Teque mihi canere immensi da conditor orbis;
Vnigenamque tuum, & vestri modò numinis aurã.
Inclyte Alexander Farnesi, haud vltimus inter
Purpureos animi virtute, & sanguine patres,
Decurre hunc vna mecum (tua iussa) laborem;
Qui non, vt quondam, nautas, victosque gigantes,
Venantesq; viros siluis, Moschumque, Bionemque,
Et falsò mutata nouas in corpora formas:
(Tradidimus rapidis quæ sponte poemata flammis)
Sed templi media positus testudine carmen
Aeternò meditor Patri, rerumque parenti.
Vos verò dilectæ olim secedite Nymphæ:
Tercentumque Ioues, & numina falsa valete:
Cumque tuis calamis valeas ò semicaper Pan;
Fluminaque alta tuis valeant celebrata poetis:
Et vestro Musæ comites vos addite Phœbo.

Non ope Pieridum indigeo, nec Apollinis aura.
Christus erit nostri princeps, & carminis auctor.
Carminibusque deos vatum de more, deasque,
(Quos gens prisca olim coluit, gens inscia recti)
Inseruisse meis vltro me pœnitet; & tot
Ocia me incassum quondam triuisse canendo.
Nunc veniam supplex oro: tu parce precanti
Ob nomen Pater alme tuum; culpamque remitte:
Atque tui cape primitias, fructusque coloni;
Quod tota nunc mente petit; nunc dirige nostras
Per pelagus Pater alme vias: da sistere portu
Naufraga vela; volensque tuo nos numine serua.
Nanque vides quantis terra, pelagoque periclis
Iactemur, quanti nunc sint toto orbe tumultus.
Perque vrbes Latias pestis sæuissima serpit:
Et secum fert exitium, secum improba sæuam
Mortem homini, cladem pecori, rebusque ruinam.
Et nisi succurras nobis; iam plura vacabunt
Tecta viris; & erunt vacui cultoribus agri:
Nos alias miseri longè migrabimus oras.
Parte alia angusti feruet maris Hellesponti
Vnda; & arenosum prætexunt mille triremes
Littus: & excidium nobis, stragemque minantur,
Cũ Zephyri flabunt auræ: tu has Christe profundo
Merge rates; cum proscindent freta feruida cursu
Atque iter in Latium multo cum milite tendent.
Nam canimus te præsidium, præsensque fuisse
Robur, in Ionio dum ponto fregimus hostem,
Hostem animis nimium fidẽtem, & puppibus æreis:
Victoresque domum, & læti spolia ampla, ducesque
Rettulimus: da quod populus tuus insuper orat
Et petit; vt post hac nunquam se iactet amarus
Hostis pugnando terra vicisse, marique:
Dicat & insultans. Deus illos liquit, & vltra
Illius non dextra tegit, nec pugnat; at omnem
Ismariam posthac primo in certamine classem,
Armaque, pugnantesque viros vasto obrue ponto.
Instructæque iuuent illum non mille triremes,
Bellantum non mille acies: sed victus in armis
Occumbat; tingatque suo freta salsa cruore.

INDEX

INDEX
RERVM. SACRARVM

LIBER PRIMVS

LIBER SECVNDVS

Aliqua ex testamento veteri.

In Aliquot sanctos.

In

LIBER TERTIVS.

INDEX IDYLLIORVM

19 Deplo-

19 Deplorat proxime præterita mala: & gratias agit Deo de pace.
20 In eos, qui pœnitentiam differunt.
21 Peccatorum cōfessionem non differendā.
22 In Deo spes reponenda; non in diuitiis, aut honoribus.
23 Beati, qui habitant in domo tua Domine.
24 Deus amandus; non diuitiæ, aut honores.
25 Beatus, qui diuina seruat mandata.
26 Rogat Deum, vt sibi ignoscat.
27 Dicit se amare cælestia; terrena despicere.
28 Deus non amat victimas, sed cor rectum.
29 Precatur Deum, vt sibi faueat.
30 Orat Deum, vt se adiuuet; malos perdat.
31 Infelix, qui aliis sapit, sibi non sapit.
32 Nunquam cessemus bene operari, & Deum laudare.
33 A bonis operibus non desistendum.
34 Infelicem illū, qui pauperi non subuenit.
35 Non terrenis bonis fidendum, sed Deo.
36 Extremi iudicij memores bene operemur.
37 Nō inuidendū diuitibus, & laute viuētib⁹.
38 Malorū, simul & iustorū mores describit.
39 Inuehitur in poetas impios.
40 Precemur Deum, vt nos à Turcarum classe tueatur.
41 Felix, qui iustitiam colit, & pietatē amat.
42 Naufragium imprecatur Turcarū classi.
43 Piorum animabus bene precatur.
44 Deum, quem omnes beati laudant, orāt, vt Turcas perdat.
45 Vinea sterilis à Domino deseretur.

IN DIEM

ANNVNCIATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

Ad Hieronymum Garimbertum Episcopum Gallesanum.

ARGVMENTVM.

Deus non immemor eorum quæ patribus nostris fuerat pollicitus, ministrum cælestem misit; qui Mariæ nunciaret, diuinum verbum ex ea carnem, salua ipsius virginitate, suscepturum. Cui iucundissimo nuncio illico, vbi Maria assensa est; Deum in vtero concepit.

VER erat, & tepidos ducebant sidera soles:
Frondibus atque nouis sese, viridique colore
Vestibant nemora; & tellus lætata recentem
Ob partum, gremio terrestria sidera alebat.
Mira exercebant volucres dulcedine cantus,
Desuetos ob longam hiemem, & mala frigora brumæ.
Cum Deus omnipotens uersans promissa sub alto
Pectore, quæ dederat patribus, qui celsa colebant
Oppida Iudææ, & ripas Iordanis, & urbes
Vicinas: cæli statuit demittere ab arce
Aequalem sibi progeniem. mora nulla, minister,
Aeterni qui tunc ferret mandata parentis,
Astitit, & nitidum scindens gemmantibus alis
Aethera, deuenit Galilææ ad Virginis ædes
Exiguas: mox exequitur mandata, Mariamque
Alloquitur (quæ tunc uatem, de more, legebat;

Regali quondam qui oriturum stirpe canebat
Dauidis intacto ex utero, & sine labe pudoris
Virginei infantem Iesum. Salue aetheris ingens
Gloria: namque in te plena est diffusa parentis
Gratia: & est tecum Dominus Deus. illa repente
Obstupuit, dictis animum turbata loquentis
Talia: quae secum dum mente euoluit; ab oris
Interpres missus caeli, sic ora resoluit.
Parce metu, Virgo ante alias accepta parenti
Aeterno: tu concipies laetissima prolem
Aetheream, nono paries quam mense, uocabisque
Hanc, Iesum: qui magnus erit, summique parentis
Vnica dicetur proles; sceptrumque tenebit
Dauidis; inque domo Iacob dominabitur: & non
Meta erit illius regni. tunc aurea virgo
Credidit: & dixit, rationem effare, modumque,
Quo sint haec ventura mihi: teque insuper oro
Ne dubiam, incertamque tuo sermone relinquas:
Nam mihi uirginitas est cordi certa; Deo quam
Rectori quondam ipsa animoque, & mente sacraui
Paruula cum primum rationis signa subirem.
Tum sic ueridico respondit nuncius ore.
Ipse superueniet diuinus Spiritus in te,
Atque te obumbrabit uirtus excelsa, tegetque;
Foecundamque aluum (dictu mirabile) reddet.
Sic Rex aethereus intra tua uiscera sumet
Humanos artus; uteroque exibit in auras
Virgineo: dehinc terrenis habitabit in oris:
Quodque tua sanctum pura egredietur ab aluo
Aeterni patris dicetur filius: & nunc
Fert utero promissam olim cognata uirilem
Elisabet tua iam sobolem; procedit & illi

Inualidæ hic mensis sextus; quanquam illa sit æuo
Iampridem confecta graui, sterilisquè vocetur.
Nec mirùm ò Virgo, quia res nulla omnipotenti est
Ardua, difficilisquè Deo, qui cuncta creauit
Ex nihilo: teque vllo etiam sine semine matrem
Efficiet. tunc sic excepit regia Virgo.
En Domini ancilla: hæc oro iam compleat in me
Dicta Deus, superis qui te demisit ab oris.
Tunc patris æterni delectæ in Virginis aluo
Vnica progenies humanos induit artus.
Hæc cecini his sacris ò Garimberte diebus,
Annua concelebrat dum templo sacra, tenet qui
Aeterni in terris Christi sedemque, locumque;
Templa vbi erant Triuiæ quòdam, nunc dicta Mariæ;
Quæ genuit populis fontem pietatis Iesum.
Et nos vnanimes vnà cantabimus almæ
Virginis, & pariter matris Hieronyme laudes.

IN VISITATIONEM B. MARIAE VIRGINIS,

Ad Cæsarem Gambaram Episcopum Terdonensem.

ARGVMENTVM.

Maria, cum ex cęlesti nuncio cognouisset, Elisabet ętate iam graui, ac sterili concepisse: eam inuisit. Narrantur, quæ Elisabet Spiritu sancto repleta ī Marię laudem dixerit: quæq; ei Maria, omnia in laudem Dei conuertens, responderit.

DVM tu Terdonem populũ, venerande, gubernas
Gambara: cui cura est sacrarum credita rerum;
Qui tibi commissas mala gramina pascere filuis
Non permittis oues, duce te, taxiue sub vmbra
(Iria qua riguis fœcundat cursibus agros)
Ducere funerea somnos: precor accipe, quæ nunc
Virginis in laudem cecini: supplexque precari
Sis memor assiduè Patrem, qui cuncta regitque
Et fouet; vt longè strepitantia conterat arma;
In nos Turca ferox cum primum castra mouebit.
Tuq; rates defende tuas ò Christe; tua quæ
Bellantur pelago pro rellizione, ruuntq;
In sæua arma tuo pro nomine; nosque gementes
Respice præteritas clades, venturaque damna.
Intacta postquam sobolem concepit in aluo
Aethereum Virgo Solymis prælata puellis,
Atque magis dilecta Deo (qui eduxit ab oris
Hebræum Pharijs populum; Pharaonis & arma
Immersit pelago) memor & quæ dixerat olim
Nuncius æthereo cæli demissus Olympo:
Constituit celsos Iudææ ascendere montes:
Atque ætate grauem cognatam visere; quæ tunc
Progeniem (mirum) sterili gestabat in aluo;
Quam nunquam ob senium poterant sperare parentes.
Sic olim iustum Dominus miseratus Abrahamum;
Et sine pignoribus sterilis connubia Rachel;
Vtrique hæredem indulsit. purissima Virgo
Actutum comitante Deo; quem læta ferebat
Ipsa Maria vtero, properans montana petiuit;
Elisabetq; ingressa domum, de more, salutat:
Atque vbi iunxerunt dextras, colloque dederunt
Brachia; tum proles latitans sub ventre senili

Aduen-

Aduentum sensit Christi; exultauit & intra
Viscera: sed perflata fuit cum numine mater
Elisabet, nouitque Dei mysteria, dixit.
O virgo gentis Iudaeae haud gloria tantum,
Sed caeli decus aeternum. tu tecta subire
Es famulae dignata tuae: quae ventre Deumq;
Atque hominem grauido portas sine labe pudoris
Intacti? en postquam fudisti pectore vocem;
Laetitia puer actutum perfusus in aluo
Gestijt, atque nouos sensi sub pectore motus.
Et quoniam mandata Dei; quae detulit alto
Aliger è caelo iuuenis tibi, credidit vltrò
Mens tua, nil dubitans: omnes te laudibus olim
Astra super tollent gentes; quae littus Eoum,
Hesperiumque colunt: nec erunt dicta irrita Patris
Aeterni: sed eris omni admirabilis aeuo.
Tunc Virgo his dictis mentem laetata, animumque,
Talibus ora modis soluit. O conditor alti
Aetheris, & terrae, meus hic te spiritus à te
Dependens cumulat laude: & iam numine plenus
Ipse tuo longè exultat: quia magnus Olympo
Me me humilem ancillam omnipotens respexit ab alto:
Propterea dicent venientia secla beatam
Foemineam me stirpem inter: concessit enim Rex
Magna potens mihi dona vltrò: sanctumq; vocabunt
Perpetuò illius nomen: nec limite clausa
Vllo erit illius pietas metuentibus ipsum.
Quin etiam fastu, atque animis, vel diuite regno
Elatos dextra infernas detrusit ad umbras:
Affluere atque humiles opibus dedit ille, & egenos
Haud aluit parco victu: dehinc reppulit auro,
Et latis dites fundis: promissaque voluens

Olim animo patribus nostris, sobolique futuræ,
Suscepit populum cara de stirpe parentum
Ducentem genus egregium sic fata, morata est
Elisabeth tectis; ter Lunæ cornua donec
Orbe nouo coiere simul: mox læta recessit;
Atque viam carpens patrias deuenit ad ædes.

IN NATALEM DOMINI
Ad Alexandrum Farnesium Card.

ARGVMENTVM.

Ioseph cum Maria prægnante in Bethleem venit: vt ex edicto, nomen suum, ac familiã profiteretur. quo loco incolumi virginitate, Maria Christum peperit: quem mox vicini pastores cælesti nuncio moniti adorauerunt.

NON voco vos vanæ nũc in mea carmina Musæ:
Sunt uobis ignota etenim, quæ carmine dicam.
Christus erit nostri princeps, & carminis auctor;
Quem tellus colit, & celsi plaga lucida cæli:
Quem semper pennata cohors circumuolat; & cui
Gaudentes plaudunt manibus, cùm carmina dicunt.
Vos memorate manus Medeæ sanguine tinctas
Natorum, fratrisque; simul bella impia fratrum;
Quos Thebana tulit tellus in luminis auras:
Ne nos quod canimus incestet fasque, piumq;
Musa suo celebrans inhonesto carmine laudes.
Tu verò nostri columen, rerumq; mearum
Præsidium Farnesi ingens nunc perlege, quæ iam

In Mariæ partum cecini; quæ sola Deumq;,
Atque hominem dedit in lucem; nostræque salutis
Auctorem certum peperit, rerumque parentem.
Farnesi, ipse igitur referam; te iudice, quem non
Tanta latent arcana, legisdum scripta sacrorum
Tot uatum, & uoluis fidei fundamina nostræ.
Tendebat; cum iam rediens bruma aspera montesq;
Atq; vrbes, camposq; simul nix alta tegebat;
In Bethlem Iudæ sola cum coniuge Ioseph
Regali referens deductam à sanguine gentem;
Cum pax æquoreos tractus, terrasq; colebat;
Describi Augustus nam tunc mandauerat omnes.
Instarent sed cum iam debita tempora partus
Virginei; hospitioq; locus cum non foret ullus,
Ob gentem innumeram, quæ tunc properabat ad vrbē,
Præside Cyrino Syriæ, ut nomenque, genusque
Ederet ipsa suum: subierunt protinus ambo
Desertam, atq; humilem sedem ingredientibus, hicq;
Infantem haud læso peperit Maria alma pudore,
Cum medio cursu iam sidera voluebantur;
Fessaque carpebant dulces animalia somnos,
Quæ nemora alta colunt, seu stagna, marisq; profundi
Exesas cautes: & agri, siluæq; silebant.
Vt rubus ardebat miro circundatus igni;
Egregius factus Moses, quem uidit ab ulla
Non tamen exustum flamma: sic illa reluxit
Post partum inuiolata, nec ullum passa dolorem.
At postquam puerum peperit sanctissima virgo;
E summo lux clara polo demissa repleuit
Obscurum stabulum; & cæcis nox atra fugatis
Effulsit tenebris: mage quam si sole recenti
Mane foret perfusa nouo: circumq; canentum

Auditæ aligerum voces, & plausibus æther
Insonuit, cæloque ignes micuere sereno.
Tunc lætata nouo Galilæa puerpera partu
Non visu se explere potest, iuuat vsque morari:
Humanaque Deum admirans sub imagine, supplex
Infantem venerans vlnis complectitur, infitque.
O salue humani generis spes vna, salusque,
Digne puer regnare polo: te non tenet aula,
Nec muros aulæa tegunt; non regia pubes
Te natum obseruat regem: sed nasceris antro,
Quo tener æthereas fudisti in luminis auras
Vagitus inter duo bruta animalia; vilique
Effultus stipula. durum præsepe cubile
Dat tibi pro molli strato. non murice amictus
Te souet incoctus Tyrio: non fascia puro
Intertexta vias auro, quas fœmina Coa
Disposuit: sed te vilis circundat amictus.
Tu verò ante alios totis quæ gaudia terris
Expectate dabis? quas grates ipsa rependam,
Vt mater tua sim; demque vbera nunc tibi nate,
Nate Deo Deus ipse, poli cui regia paret?
Sic virgo vultum roseo suffusa rubore
Auctorem peperisse suum lætatur: at ille
Attollens oculos ad dulcia verba parentis;
In matris tacitum inspirat noua gaudia pectus.
Dumque acies geminas admirabunda teneret
In puerum humano sub corpore numen habentem:
Assistit pennata cohors pastoribus alta
Arce poli demissa; canuntque per aera dulces
Ore modos; lætique mapalia lumine multo
Pastorum lustrant, qui tempore noctis agebant
Excubias: pecudumque greges, armenta superque:

Pectoribus quorum terrorem iniecerat atras
Per noctis lux illa prius non visa tenebras:
Totque chori aligerum cæli per inania cantus
Edentes stabulum supra, quo læta latebat
Coniuge cum Maria alma suo. cunctantur, & hærent
Pastores, trepidique suis in ouilibus astant.
Vnus at illorum, cælo dum pendet in alto,
Balantum tali compellat voce magistros.
Ne vos pastores ouium timor vrgeat vllus:
Nanque ego ab ætherea sum missus nuncius arce:
Vt vobis (nec vana loquor) noua gaudia pandam.
Infantem peperit Virgo sub paupere tecto
Sub noctem hanc mediam; quem tot cecinere vicissim
Veridici vates venturum in luminis auras:
Qui genus humanum cæli deducet ad alta
Atria; vestrorum & tollet peccata parentum:
Eductum et tenebris populum mox transferet almam
In lucem, cælique domos, optataque regna.
Ite alacres, tantosque metus deponite vos ò
Pastores; quibus est concessum cernere primum
Virgineo ex vtero ad præsepia vilia natum
Regemque, genitumque Deo, mortalia membra
Indutum; cum sit Deus immortalis. at illi
Verterunt iter ad tanti cunabula Regis.
Vt venere, vident diuini signa decoris
In puero: seniorque illorum versus ad illos,
Hic puer est Deus, ò socij, cælestibus oris
Deducens genus egregium: mox lumina vertens
Ad matrem: felix, inquit, Virgo inclyta: nanque
Non vultus tibi mortalis (nec fallor) & ipsa
Non hominem tua vox sonat, ò sanctissima Virgo.
Nos quoque felices, erimus, quibus ora tueri

Concessit Pater omnipotens sub tegmine agresti
Infantis, teque ante alios uidisse parentem;
Alipedumque choros iuuenum aspexisse; domumque
Hanc humilem supra Patris, natique canentum
Certatim tantas non uno carmine laudes.
His dictis, humiles, lætique ex ordine, flexo
Poplite adorarunt puerum, rerumque parentem.
Sed cum pallerent nondum uaga sydera, ob ortus
Purpureos Solis, rediere in virgea septa,
Sat notum per iter campis, lætique uicissim
Perpetua æternum celebrarunt laude parentem.

IN EPIPHANIAM DOMINI.

Ad Alexandrum Rufinum Hieronymi F. Romanum Episcopum Melphiensem.

ARGVMENTVM.

Dicit eo die tria contigisse miranda. Et Christum à Magis fuisse adoratum, & à Ioanne baptizatum; & aquam ab eo in nuptijs in vinum conuersam. Deinde ad Magos rediens, dicit, Eos, Christum adoraturos venisse primum Hierosolymam; deinde ab Herode in Bethleem missos; vbi Christum & adorauerunt, & allatis muneribus donauerunt.

HAEC Rufine dies summo est gratissima cælo;
Qua canimus Christũ infantẽ sub paupere tecto

Cum

Cum uidere Magi; & puero tria dona tulere:
Quos stella Eois radians perduxit ab oris.
Hac sua membra etiam Christus Iordanis in unda
Luce sacra tingens, mortalia vulnera lauit;
Et nostras remouens culpas, primique parentis
Commissum cunctis cælestia regna reclusit.
Hac etiam conuertit aquas in uitea (mirum)
Pocula, conuiuas inter, tedasque iugales.
Ipse Magos referam ductos à sidere ad urbem
Qua Christum dederat virgo sanctissima partu.
Hac igitur nostra labente ætate precemur
Cælestem Patrem unanimes; vt nos quoque ducat
In cæli latas sedes; ubi funeris atri
Expertes erimus cuncti, tristisque senectæ.
Hic ubi plena Deo sunt omnia; & omnia luce
Incircunscripta fulgent; & gaudia sedes
Aethereas æterna tenent; vbi lumina nostra
Clauserit obscuram in noctem: sicut noua duxit
Stella Magos niger à terris, quas incolit Indus,
In terras Iudæa tuas; quibus edidit almam
Progeniem Virgo ante alias electa, Deoque
Grata magis. tu quæ petimus concede; nec ulla
Te moueant commissa: pijs ast annue uotis
Amborum; donec veniat meta vltima vitæ,
Omnipotens hominum rector, rerumque creator.
Hesperijs fama Eois, & didita terris
Detulerat regnatorem terraque, marisque
Vitales hausisse auras prope fluminis undam
Ante alias gratam gustu Iordanis amœni:
Tres liquere Magi multis comitantibus oras.
Exoriens Sol ante alias quas lumine primo
Illustrat; densasque fugat per inane tenebras

(Non famam, aſt ueterum uatum monimenta ſecuti)
Qui rerum varios caſus, & ſidera norant:
Stellæ quibus monſtrauit iter non cognita cælo
Effulgens; pueri veniſſent limina donec;
Parua quidem: ſed quæ terræ, pontique tenerent
Hoſpitio Dominum regali ab origine natum.
Hi primum Solymorum arces venere, premebat
Quas tunc imperio nulli feritate ſecundus,
Agreſtique animo Herodes; ſedemq́; requirunt,
Qua ſuperas cæli Chriſtus prodiſſet in auras.
Has verò ut ſpargi voces audiuit iniquus
Herodes; ſenſitq́; noui incunabula Regis:
Territus obſtupuit; mox in diuerſa trahebat
Infelix animum dubium: nanque ille putabat
Limine ſe pelli nato ſub Principe; quem tot
Venturum vates cecinere. atq́; hæc vbi ſecum
Euoluit; iubet ipſe Magos in celſa vocari
Atria Mygdoniijs centum ſubnixa columnis:
Atque illos ſtatuens media teſtudine tecti
Dicite uos, quæ cauſa viæ? quo tenditis? & quid
Quæritis his noſtris regionibus? inquit. at vnus
Illorum ſenior defigens lumina terra,
Cunctatusq́;, moram exiguam facit; oraq́; contra
Suſtulit Herodem; breuiterq́; hæc edidit ore.
Non errore viæ, casùue has venimus oras:
Stella viam è cælo nobis monſtrauit aperto:
Huc alacres animis ferimur, vatumq́; ſacrorum
Veridicis olim dictis, & lumine tanti
Sideris; vt Regem liceat ſpectare potentem
Terrarum, cæliq́; Deum: quem tempore longo
Tot per terrarum tractus, tot perq́; labores
Quærimus; vt meritos Regi impendamus honores.

Dona-

Donaque nobiscum tulimus, offerre parati
Huic puero. mora nulla, vocat clam in terra tyrānus
Sacrarum rerum primos, templique ministros:
Et quærit quibus ille puer nascatur in oris;
Quem Christum appellant vatum monimenta piorū.
Talia primores templi responsa dederunt.
In Bethlem nasci Christum: sit mœnibus illa
Parua licet. tunc dissimulans rex talibus infit.
O gens ante alias felix, quibus ora tueri
Concessum est nati Regis; cui seruiet ingens
Orbis, & ætherei tractus, pelagusq; profundum;
Atque per innumeras deduci à sidere terras.
Ite agite ò memores nostri: vestro mihi grata
Nuncia ferte precor reditu; lactentis vt almos
Conspiciam pueri vultus, & lætus adorem;
Dignaq; dona feram mecum. nec plura locutus:
Sed dextra, læuaque manu deduxit ad alta
Limina regalis tecti; nunc dulcibus illos
Colloquijs, & nunc promisso munere mulcens.
Vt liquere Magi regemque, domumq; superbam;
Ad Bethlem læti contendunt mœnia parua.
Tunc subitò emicuit stellæ iubar, atq; iter omne
Flammis signauit solitis; ad limina donec
Virginis aduenere: suo nam præuia cursu
Stella micans monstrabat iter: sidusq; secuti
Optatum tenuere locum: nam constitit astrum
Virginei partus supra (mirabile) tectum.
Huc puerum ingressi submisso poplite adorant:
Et puero obtulerunt alacres sua munera; Regi
Dant aurum; feralem homini dant munere myrrham;
Vt vero dant thura Deo: dehinc nocte quietem
Per placidam admoniti è cælo, non iussa facessunt

Herodis;

Herodis: magno infantis tum numine freti,
Ad notas rediere, alio sed tramite, sedes.

IN SANCTOS MAGOS
Ad Thomam Aldobrandinum.

ARGVMENTVM.

Orat sanctos illos Magos, vt pro salute nostra Deum precentur.

FELICES *saluete Magi: quos præuia cælo*
Stella uiam docuit magni ad præsepe Tonantis,
Quem partu dedit in lucem Galilæia Virgo;
Non longè quà Iordanis *sacra voluitur unda.*
Vos *oro, ut sicut tecto uidistis agresti*
Infantem *positum, vitæ, nostræque salutis*
Auctorem: celsa Christus *cum sede sedebit;*
Cumque tubæ totus clangore remugiet æther;
Confestimque animæ in sua corpora prima redibunt;
Perpendet quas iudicio iustissimus acri;
Vnicuique suo infligens pro crimine pœnas:
Dignaque pro meritis persoluens præmia iustis:
Sic olim liceat nobis hunc cernere eundem
Tranantem solisque uias, cælique tenentem
Atria; nosque vnà secum super æthera tollat:
Et statuat, iusti qua fulgent haud secus ac Sol;
Adiutos precibus uestris, & virginis almæ;
Progeniem superas quæ talem effudit in auras.
Scripsimus hæc tibi pauca tuo dulcissime iussu
O Thoma: *quæ non Musa, non vanus* Apollo

Dictauit:

Dictauit: sed blanda Dei spirantis in aures
Aura meas, aura è cælo demissa sereno.

IN PVRIFICATIONEM B. MARIAE VIRGINIS.

Ad Io. Antonium Fachinettum Patriarcham Hierosolymitanum.

ARGVMENTVM.

Maria virgo quadragesimo à partu die abijt Hierusalem cum Ioseph: vt, secundum legem, puerum Domino sisterent. referuntur quæ Symeon uiso puero, diuino numine afflatus dixerit.

TV *mecum Antoni cane mystica sacra Mariæ:*
Quam scio te toto venerari pectore, & illam
In tua uota etiam dubijs accire periclis
Ante alios: qui tecta tenent sublimia cæli.
Sol quadraginta cursu peragrauerat orbes,
Saluatorem hominum postquàm sanctissima virgo,
Auctorem & lucis peperit; cum coniuge venit
Egregiam Solymorum urbem, non immemor unquam
Hebrææ legis; quæ prisco ex more iubebat
Infantes offerre pias cum munere ad aras.
Immunisque foret quamuis ea muneris huius,
Maiorum veteres ritus tamen ipsa secuta,
Detulit in templum puerum cum coniuge Ioseph
Tunc Symeon, Solymos inter quo non erat alter
Iustior

Iuſtior; afflatus diuino numine, ſacrum
Ilicet in templum venit multo obſitus æuo.
Diuinæ hic auræ reſponſum acceperat annis
Iam multis, non viſurum ſe limina leti,
Non gelidæ mortis faciem; niſi cerneret olim
Illum; quem toties uates cecinere per annos
Præteritos Chriſtum Domini: quæ pectore ſecum
Cuncta volutabat recolens noctesque, dieſque
Aduentum Chriſti ſpatijs inſtare propinquis.
Vt verò ingreſſus templum eſt, viditque Mariam;
Quæ comitata viro puerum ſacram ſuper aram
Siſtebat; pulloſq; duos, de more, columbæ:
Continuò agnouit Chriſtum; lateq; frequenti
Exultans plauſu puerum eſt veneratus, & vlnis
Infantem accipiens, atque oſcula plurima libans;
Atque hilari exclamans has fudit pectore voces.
Aduenit promiſſa dies lætiſſima ſeruo
Magne Pater; qua tu Dominus me carcere uinctum
Iampridem duro, in pacem, placidamque quietem
Dimittas: tu ſcis, quoniam iam viximus, atq;
Exactos fragilis vitæ protraximus annos:
Nanq; ſalutare aſpexerunt lumina lumen
Noſtra tuum, natum populis, & gentibus illud;
Quod votis petiere olim; Iſraelis ut ingens
Cuncta per ora virum volitet felicibus alis
Gloria, & excurſu percurrat littus vtrunq;.
Tunc Maria, & Ioſeph intentis auribus aſtant
Quæq; ſuper puero audierant mirantur vterq;.

FVGA

FVGA CHRISTI IN AEGYPTUM, eiusque reditus.

Ad Fuluium Vrsinum Iulij F. Episcopum Spoletinum.

ARGVMENTVM.

Postea quam Ioseph cum Christo, & Maria in Aegyptum profectus est: Herodes misit, qui occiderent pueros, qui in Betlheem, & in eius finibus erant. Quo impio rege extincto, Ioseph cum Maria, & puero in Israel regressus, habitauit in Nazaret.

NVnc quoniã nos haud comitari ad fertilis oras
Tendentẽ Aegypti Christũ cũ matre, Iosephũ
Herodis fugeret dum saeui irasq;, minasq;, (que,
Possumus: his vnà saltem celebrabimus illos
Carminibus Fului Vrsine, o Fului inclyte, nostris:
Dum tu pascis oues, tibi quas commisit alendas
Christus in herbosis campis; quos irrigat vnda
Clitunnus formosus aquis, ripaque virenti;
Quę duce te primasq; niues, & prima ligustra
Exuperant candore suo; securaq; carpunt
Gramina; non aconita graui perfusa veneno,
Non fontes cœno obductos, lymphamq; palustrem:
Sed liquidos potant riuos, aut flumina viua.
Atq; vtinam nobis summi concedat Olympi
Rex, ut possimus praeconia digna referre;
Et meritas illi laudes, & reddere nota.

Aeterni

Aeterni qui ferre solet mandata parentis,
A latus Seraphin Ioseph apparuit altum
Per somnum; cum cuncta silent, tacitisque quiescunt
In siluis, stabulisq; feræ, carpitque soporem
Optatum mortale genus: mox talibus infit.
: urge age; & actutum per amica silentia noctis
Carpe viam Aegyptum uersus; atq; accipe tecum
Et puerum, & pueri matrem: nanq; hora propinquat;
Qua rex Herodes nulli improbitate secundus
Bethlemijs nuper natum perquirat in oris;
Inuentum vt perimat gladio: versatque sub alto
Pectore nunc, puerum possit quibus artibus ipsum
Perdere; tu celerans vrbem fuge. dixit: & olli
Iniecit desiderium sua linquere tecta;
Exilicque suas sedes mutare, domumq;.
Nec mora, cum summo fulgerent sidera cælo;
Vrbe est Bethlemia egressus cum coniuge Ioseph,
Et puero, trepidansque Aegyptia regna petebat.
Interea infantes teneros mandarat iniquus
(Quos inter natum ipse suum quoq; perdere iussit;
Ne fletu, aut precibus foret exorabilis vlli)
Occidi Herodes; vrbis qui tecta colebant
Bethlemiæ, & fines circum: sed tenderet oras
Dum Pharias Ioseph recolens mandata parentis
Cum matre, atq; eius puero: iam maximus alta
Sidera pulsabat clamor sublatus ad auras
Fæmineum ob sonitum passim per tecta, viasq;.
Sed lachrymis sine quis posset, gemituque referre
Hoc immane nefas, infandumq;? æthera matres
Altum incendebant vlulatibus: illa capillos
Vnguibus, illa genas scindebat: pars sua pugnis
Pectora tundebant: pars multo sparsa cruore

Infan-

Infantum, perimi ferro per corpus adacto
Optabant; sociasque suis se se addere natis:
Tantus erat clamor tota ingeminatus in vrbe.
Herodes post tot scelera exitialia, tandem
Consumptus turpi morbo est: qui fasq; , piumque
Subiecit semper pedibus dum viueret; & qui
Nil nisi per noctem facinus crudele, diesque
Versabat mente, atq; animo. non sæuius illo
Vllum animal tellus aluit, non æquora ponti.
Quique etiam cum uitam ipsam exhalaret in auras,
Vrbis primores occidi iussit; vt omnis
Mæsta domus foret ob cladem, cædesque suorum;
Ne possent trepidi ciues gaudere suam tunc
Ob mortem; ast essent intenti ducere pompas
Funereas, & flere suos, & condere terra.
Humani sitiens adeo fuit ille cruoris;
Vt post mortem etiam gauderet sanguine cæso.
Tunc Pater ætherei Rex, & dominator Olympi
Aligerum iuuenem Cæli demisit ab arce
Ad Ioseph; qui tunc patrijs velut exul ab oris
Longè aberat mærens, Aegyptiaque arua colebat.
Vade age; & hæc, inquit, defer mea iussa per auras,
Et dic Iosepho, vt redeat, secumque reducat
Cū puero matrem in patriam: quoniam furor, omnisq;
Ira illaudati Regis concessit; & vltra
Ne timeat, tenebrosa tenent quem tartara regem;
Ense mihi æqualem prolem qui perdere ferro
Quærebat. secuit subitò celer ille uolatu
Obscuræ noctis tenebras; sedemque petiuit
Iosephi; qui tunc stratis in vilibus altum
Carpebat somnum; fert & mandata parentis
Aeterni. Ioseph consurgens brachia tendit

Ad cælum afflatus cælesti, atque excitus aura:
Deinde Deo grates agit; enarratque parenti
Somnia; & accipiens puerum cum matre, reliquit
Aegypti externam sedem, in patriamq; refert se.
Iamq; Palestinæ reduces confinia terræ
Contigerant; passim cum dicta fama ferebat,
Archelaum regem patriis considere regnis;
Et premere imperio Iudæam. subsistit, atq;
Extimuit: Pater omnipotens solatus at illum est:
Qui somno admonitus Galilææ uertit ad oras
Lætus iter, tenuitq; viam cum coniuge ad vrbem
Nazaret; & multos ibi vixit duriter annos.

INNOCENTVM CAEDES

Ad Hippolytum Aldobrandinum Siluestri F. Auditorem Rotæ.

ARGVMENTVM.

Maximam quidem lætitiam attulit Christi natalis cælitibus: at ingentem luctum matribus, quæ Bethleem, eiusque fines incolebant. Deplorat auctor eorum necem; refertque varias diuersarum matrum querimonias, miserabiles illas quidem, sed tamen lectu iucundas.

Hippolyte euoluis dum sacra volumina legum;
Et populis solers das iura, en accipe carmen
Iam toties tibi promissum, desensor, amansq;
Iustitiæ, & recti columen: tu perlege quæ iam

Dixerunt miseræ natorum in funere matres:
Quos frustra ferus, & nulli impietate secundus
Herodes iussit violento occumbere ferro.
Lætitia perfusus erat sublimis Olympus,
Et chorus alatus iuuenum cælestibus oris
Exultans latè natumq;, Patremque canebant;
Cum Virgo peperit vitæ, nostræque salutis
Auctorem Christum: sed luctus matribus ingens
Illis indictus, Bethles quæ tecta colebant,
Et fines: nam Rex cæli in sua regna uocabat
Illarum infantes. hæc olim sacra futuro
Debita erant agno; qui labem sanguine fuso
Tolleret antiquam nostrorum ob prima parentum
Crimina (prò dirum facinus) per compita nati,
Perque domos cecidere, uelut concisa bidentum
Corpora, Iudæi faciunt dum sacra parenti
Aeterno magnum exitium, spectacula sæua,
Sed neque uisa prius: en passim stringitur ensis
Letifer; inde cruor latè æstuat: & tamen illi,
Quem quærit rex Herodes male perdere, nullam
Vim tulit: at matres longos per colla capillos
Discerpunt, crebrisq; implent vlulatibus auras:
Et miseræ quantum quærebant condere natos
Infantes gremio; tantum quoque tendere contra
Districtos gladios illi, vultuq; feroces
Horribili intentare necem. vagitus ad auras
Vndique sublimis fertur per inania cæli,
Milite cum forti pugnamq; edebat iniquam;
Nec pugnæ poterat natum subducere mater.
Ille trahebat atrox infantem; ast illa tenebat
Cunctorum auxilium implorans hominumq;, Patrisq;
Aeterni, atque oculos lachrymis rorabat amaris:

Sæue

Saeue petis, dicens, rigido mea viscera ferro,
Seruaui quae non tales ego mater in vsus.
Iac frustra tibi nate dedi, solatia quondam,
Nunc matri miserae dolor ingens. o vbi vultus
Siderei, nec non praestantis gratia formae?
In Libyae syrtes tulerunt mea gaudia venti.
Nunc ego te tantis confossum corpora cerno
Vulneribus. quid nunc restat mihi? nil nisi luctus,
Nil nisi & aeternus dolor: haec tua vulnera semper
Haerebunt animo, caedesque haec facta per oras
Bethlemias, donec veniat meta vltima vitae.
Ast alia has voces lachrymis dabat intermixtis.
Vnum tu miles tantum scelerate requiris;
Qui puer est, vnusque; & iter quo verterit, & qua
Tecta colat, nescis & adhuc reperire, nec illum
Illum vnum haud vnquam poteris: sed nunc tamen oẽs
Das leto, tua prospiciunt quos lumina natos.
Quem genui ad terram illidis, nec commouet vlla
Te pietas, matrisque dolor. dicebat & illa.
Comprime saeue manum: non est haec victima magno
Sueta Deo offerri; cum sunt sacra annua templo:
At venia est aetas pueri dignissima; non hic
Promeruit sic occidi saeuissime miles.
Desine arenosis committere semina sulcis.
Quid flores nuper natos succidis, & illos
Sub pedibus teris, atque hortorum euellis honores?
Maesta parens alia haec lachrymis dicebat obortis.
Ense isto miserae pectus transfige volentis:
Si mea culpa necis causa est: nanque haec mea vita
Est inuisa mihi nato moriente superstes.
Ipse tuas faedare manus rex sanguine nostro
Immerito iussit: crudelis tu quoque miles.

Crudelis num tu magis, an rex impius ille?
Impius ille quidem est: crudelis tu quoque miles.
Ast alia infelix tollebat ad æthera vocem.
Sancte veni puer è celo demisse supremo;
Veridici vates quem prædixere diu, iam
Venturum; & te ostende palam; teque ipse videndum
Da turbæ huic; quæ te non cessat quærere: nanque
Te viso cadet in terram, suaque arma reponet:
Incutiet tibi nec quisquam per membra timorem:
At pacem orabunt cuncti, & sua brachia tendent.

IN INNOCENTES

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Celebrat beatos illos pueros, qui primi pro Christo sanguinem fudere. Deinde inuehitur in Herodem: quem dicit apud inferos tantæ impietatis pœnas luere. Deinde per eorum necem Christum obsecrat, ut impendentia à nobis pericula propulset. Postremo sanctis pueris familiam Farnesiani commendat.

PVrpurei flores saluete, haud quos vagus imber,
Haud ros nocturnus, non in conualle virenti
Vmbra olim eduxit cælo capita alta sereno:
Sanguine sed vestro perfusi, clara tulistis
Præmia; & ante alios primos meruistis honores.

Vos

Vos Deus ipse suo duram pro nomine mortem
Oppetere elegit: vos princeps victima Christi:
Vos olim ornastis siluas, & prata colore
Purpureo; cui Narcissus, cui purpura cedit:
Limina nunc, celsique domos decoratis Olympi;
Et superi uestris incingunt tempora sertis.
Vos quoq; felices matres, quibus edere fœtus
Hos licuit superis gratos, summoque parenti.
Tu verò Herodes pestis emissa latebris
Infernis hoc ause nefas tam triste, iaces nunc
Infelix sontes inter, scelerumque phalangas:
Hic, vbi Sol non luce sua, non Luna tenebras
Depellunt: vbi flamma vorax, & viua per vmbras
Nigrantes barathri tetrum dant sulfura odorem:
Et sumit de te sceleratas impia pœnas
Gens olim depulsa polo omnipotentis ob iram;
Cum primas tali sedes, & Patris honorem
Posceret æterni; quam tunc cælestibus oris
Omnipotens genitor barathri detrusit ad vmbras.
Insontes puerorum animæ, & felicia cæli
Agmina & exultant alacres, lætoque fruuntur
Aeterni Patris aspectu; teque aspra ferentem
Supplicia aspiciunt, & regna obscura tenentem.
Nos proni ante tuas aras te Christe precamur
Infantum pro vagitu, pro sanguine fuso;
Vt nos iactatos tantarum in turbine rerum,
Atque inter sæui funesta pericula belli
Defendas pietate tua: nanque arida tanquam
Nubila nos erimus sine te: quæ flatibus acta
Huc illuc Boreæ magnum per inane feruntur;
Et tanquam sine luce dies, sine frugibus agri.
Interea illustres animæ, Farnesia uestro

Tuta

Tuta domus sit præsidio; quæ pectore toto
Vos colit, obseruatque; & multa cum prece supplex
Accumulat sacras donis ingentibus aras.

IN IEIVNIVM CHRISTI.

Ad Antonium Perenottum Granuelanum Card.

ARGVMENTVM.

Quadragenorum dierum ieiunium à Patribus institutum, originem ducere ait à Christi ieiunio: quo ipse post baptismum in locis solis laborauit.

INSTITVERE *patres sancti ieiunia quodã;*
Queis Christus præcepta dedit, quà sol cadit, &
Tollit se illius vestigia fida secuti: (quà
Ipse etenim petiit deserta, atque inuia; perque
Quadraginta dies totos ieiunia seruans
Vixit ibi solus inter caua saxa, ferasque;
Postquam artus sacros Iordanis tinxit in amne;
Findit Idumæos placidis qui cursibus agros,
Gemmanti Gange, atque ipso felicior Hermo;
Ardentes quamuis auro deuoluat arenas:
Nanque suis artus meruit contingere lymphis
Illius; summa è cæli qui venerat arce.
Tu verò mea sit fragilis cum vita, meique

Meta incerta obitus; operum da Christe tuorum
Partem aliquam me posse sequi, pariterque laborum.
Tuque idem spes certa hominis, rerumque potens Rex;
Atque tui patris æterni mirabile lumen,
Respice me, Animique tui nunc dirige gressus:
Nam felix est ille, tuo quem Christe tueris
Præsidio; non qui mortales ambit honores,
Non magnas orientis opes, auramque potentum;
Sed ponit spem certam in te Dominoque, Deoque.
Proque tuis in me meritis, te laudibus vnum
Prosequar, vt fas est, nec erit nox vlla, diesque.
In qua non habeam meritas ante omnia grates;
Dum reget hos artus cæli spirabilis aura.

IN TRANSFIGVRATIONEM Domini nostri Iesu Christi.

Ad Franciscum Alciatum Card.

ARGVMENTVM.

Dum Christus in vertice montis Thabor Petro, Iacobo, & Ioanne præsentibus oraret: eius facies Solis instar reluxit: vestimentaq; niue candidiora apparuere. Tum vox summi Patris è cælo audita est, dicentis, Christum dilectũ sibi filium, eumq; audiendũ.

ALCIATE *licet subeas tot publica Romæ*
Munera, & innumeros sacra pro sede labores
Gregorio sub, qui Christi sedemque, locumque
Terrarum in toto orbe tenet: tamen hos lege versus;

Quamuis incomptos: interdum & mitte frequentem,
Vndantemque hominum turbam: teque eripe, teque
Collige, feruoresque æstatis falle legendo.
Hos tenues versus, ò recti assertor, & æqui;
Candide & interpres legum, rerumque sacrarum,
Inter odoratos flores; quos educat aura,
Aura Quirinali veniens è colle propinquo.
Cum per Iudæam, & felicem Christus Idumem,
Atque Palæstinam diuini semina verbi
Spargeret, & morbis afflictos redderet ægros
Incolumes; & spiritibus correpta malignis
Corpora sanaret verbo; & vestigia claudis
Aequaret solito gressu; lumen daret illi,
Qui nunquam vidit lucem; & reuocaret ab oris
Infernis homines ad cæli luminis auras;
Redderet & mutilis artus, frugumque referret
Non partem exiguam verbi de semine iacto;
Afflatus postquam diuino numine Petrus
Ante omnes alios fuerat confessus Iesum
Christum esse, æternumque æterno patre creatum;
Pauci abiere dies; cum Petrum Christus eundem,
Cui Dominus cæli claues promiserat vni;
Atque duos, quos enixa est Zebedæia coniux
Ad celsum duxit Thabor: sed cum iuga montis
Ascensu aerij superassent; vertice Iesus
Constitit; & cælo palmas vtrasque tetendit;
Effuditque preces magno, de more, parenti:
Dum verò oraret; lux cælo effulsit ab alto;
Atque infusa, nemus latebrosum clara retexit.
Ipse autem effulgens mutato apparuit ore
Christus, & aspectu patuit Deus: instar erat nam
Illius facies Solis cum surgit; & almum,

Pulsa nocte, diem secum vehit, & fugat astra.
Quique sacrum tenuis corpus vestibat amictus,
Scythonias candore niues anteibat, ob ipsum
Splendorem immensum manantem è corpore Christi.
Quin etiam gemini vates quorum vnus ab oris
Aegypti Hebræum populum pede per freta sicco
Duxit ad oppositum littus, desertaque regna:
Cui statuit leges: alter cui Cælicolum Rex
Scire futura dedit; quem portauere quadrigæ
Flammiferæ in nitidam sedemque, hortosque beatos.
Mira apparebant hic maiestate verendi.
In medio illorum stabat sublimis Iesus.
Dum verò inter se loquerentur de nece Christi;
Quæque Hierosolymis illum subeunda manerent
Tormenta insontem, dum Patris iussa facessit:
Intenta Petrus perceperat aure magistri
Funera dira sui: & Dominum miseratus acerbam
Ipsius ob mortem: sic inquit. Christe manere
Hoc nobis in monte bonum est: permitte precor te
Tres struere aerei sedes hoc culmine montis:
Quarum prima tibi dabitur, Mosique secunda,
Tertia & Heliæ Thesbitæ cedet: & altis
Sedibus his liceat nobis producere vitam.
Dum loquitur Petrus, cælo demissa sereno
Fulgida per tenues nubes apparuit auras,
Mortales illorum oculos, & pectora inumbrans:
Et subito vox est è clara reddita nube.
Filius hic meus est, atque indubitata propago;
Et mihi ab æterno semper dilectus; & in quo
Complacui mihi. Vos gentes quæ littus vtrunque
Incolitis, ipsum hunc terris audite; nec vllum
Vllum alium. vocem hanc tres illi hausere; metuque

In facies cecidere suas: nam ferre nitorem
Ingentem nubis, sparsamque per aera vocem
Illorum haud poterant sensus: dehinc ille timore
Prostratos adiit, tetigitque; & talibus infit.
Surgite; nec pavor vlterius vos occupet vllus.
Tunc læti surgunt oculos per cuncta ferentes;
Lustrantesque caui montis latera ardua circum.
Non vllum videre virum: sed vertice tantum
Aerij montis Christum. de hinc Christus ab alto
Cum tribus his vnà descendens monte per vmbras
Discipulis; iussit, ne, quæ modo visa fuissent
Ipsis monte, palam facerent mortalibus vllis;
Inferna donec surgens à sede rediret
Post ternos Christus Soles; & victor Auerni
Indutus spoliis superas remearet ad auras.

FLETVS CHRISTI super Hierusalem.

Ad Ascanium Salimbenum Viterbiensem. Iurisconsultum.

ARGVMENTVM.

Christus Hierosolymam voluptatibus deditam defleuit; vt in maximum excidium non multo post incursuram.

CHristus oliuifero descendens monte per vmbras;
Cum peteret multis circum comitantibus vrbē
Hierusalem; quæ tum dixit, cum cerneret illam

Delicias inter choreis, epulisque vacantem;
Salimbene audi; dum frigida Caprarolæ
Tecta colis, lecta Farnesio gratissima; cum Sol
Feruet, & arescunt siccis iam faucibus amnes:
Venerat alma dies, proprio qua sanguine Christus
Humanum genus à noxa, barathrique profundo
Eriperet; remouens veteris contagia culpæ:
Qui Marthæ vt fratrem superas reuocauit ad oras;
Cum Solymam peteret multis comitantibus; vrbem
Aspiciens claram ante alias, opibusque potentem,
Atque frequentantem positis conuiuia mensis;
Et festa latas agitantem luce choreas;
Constitit illachrymans; rupitque hanc pectore vocem.
Hierusalem infelix, nescis tempusq; meumque
Aduentum; quo tuta fores, & libera ab omni
Pernicie hostili, funesta & cade tuorum.
Ecce tibi veniet multis adoperta tenebris
Improuisa dies, quæ te, & tua mœnia latè
Euertet; tum strata solo tua tecta iacebunt.
Hierusalem longè infelix, quæ pœna manet te
Aspera, crudelisque; tamen tibi debita: quam non
Effugies, misera ante alias, vrbs inclyta quondam.
Dixit, & ingressus multis comitantibus vrbem est.
Hierusalem infelix; quaris quæ perdere mundi
Rectorem; & facies paucis post cæca diebus.
Ecce cades oblita Deum, cadesque tuorum
Ante oculos, stragemq; hominum, excidiumq; videbis
Vrbisque, templique tui: quin tu quoque tela
Inter; & arma virum pugnantum, & corpora cæsa
Strata cades; tanto nec tempora longa supersunt
Excidio; ruet ignis edax tua mœnia, & vrbem
In cinerem vertet: nec non pars ipsa superstes

Aerumnis, belloque, alias ducetur in oras;
Seruiet atque aliis dominis. tua dextera quem non
Vatibus è sacris ferro est aggressa? deditque
Horribili leto? & tellus madefacta cruore est
Innocuo. tu non vltra dominaberis: eheu
Heu Solyma infelix; qua nulla beatior ante
Vrbs fuit: aeterno neque gratior vlla parenti.
Tu seruas patrios mores: quae dedere morti
Vitam optas, post tot languentia membra saluti
Reddita: signa etiam post tot manifesta per oras
Iudaeas quae tu vidisti ingrata: dabis sed
Ob mentem laeuam ipsa acri sub iudice poenam.
Nec scelerata diu laetabere: namque securis
Arboris ad radicem altam est; quam sternere multis
Vulneribus parat ad terram; mox tradere flammis.
Ah quoties voluit, si non, heu, stulta fuisses,
Ipse tuos natos tegere, atque fouere sub alis
Christus: vti gallina suos solet anxia pullos.

IN CHRISTVM IN CRVCE PENDENTEM.

Ad Laeuinum Torrentium Archidiaconum Leodiensem.

ARGVMENTVM.

Deplorat Christi mortem: enumeratq; prodigia, quae in ea facta sunt.

TRISTIA mortales vna vos dicite mecum
Carmina; funereisque intendite frondibus aras;

Nam venit lugenda dies; qua purpureus Sol
Occuluit nitidos picea caligine vultus:
Et mundi hanc molem immensam sine luce reliquit:
Inque duas partes (visu mirabile) velum
Ingentis templi scissum est; discissaque multis
Saxa locis; vitaque etiam defuncta piorum
Corporis multa patrum, tumulis inclusa paternis
Ad superas redire auras: tellusque repente
Illo eodem tremuit moriente inspersa cruore,
Expirantis heri: sacro dum sanguine cernit
Concretos crines, & apertum pectus acuta
Cuspide: & ex spinis Regem noua serta gerentem.
Te nunc ad lachrymas, teque ad suspiria vates
Torrenti Leuine voco. cane tristia mecum
Carmina ob immeritam mortem pendentis Iesu
In Cruce: & alternis modulans tua pectora dextra
Tunde manu: Christique alta super arbore vtrasque
Palmas; affixosque pedes precor aspice ferro:
Et madidum in pectus pendens caput. aspice sacrum
Sanguine respersum mixto cum puluere corpus.
Nos proni ante tuas multis cum fletibus aras
Christe te adoramus sub sextæ tempora lucis.
Tu nostras dignare preces audire, tuosque
Aerumnis mersos tantis, rerumque tumultu
Ingenti, varioque: premit nam Thracius hostis
Hinc, illinc effrana virum gens, quæ colit oras;
Quas Aquilo tundit spirans strepitantibus alis.
Te Leuine Deus patrias perducat ad oras
Incolumem; semperque regat; te lucida donec
Tecta tua fabricata manu, sedesque tenebunt.
Nec dubita: non te linquet Galilæia Virgo;
Cuius tu æthereos cecinisti Virginis ortus,

Vitamque,

Vitamque, & sanctos obitus, superisque receptam
Sedibus ad dextram nati, magnique parentis.

IN CHRISTI RESVRRECTIONEM.

Ad Gerardum Episcopũ Leodiensem.

ARGVMENTVM.

Celebrat diem, quo Christus post patres ex inferis eductos resurrexit. Narratq; multis argumentis Christum resurrectionem suam declarasse.

O Salue ante alias anni Ver pulcherius horas;
Dignius & vatum cantu super ethera ferri:
Humanos te ineunte etenim Deus induit artus;
Et duro occubuit ligno: victorque sepulchro
Mane resurrexit; cum iam aduentaret Eoo
Tertia ab orbe dies. tuque es pulcherrima, nec non
Lux celebranda piis; licuit cui cernere victa
Morte resurgentem Christum. Vos plaudite cuncti
Mortales; illum celebrent volucresque, feraque,
Et quæ cæruleis penitus fert monstra sub vndis.
Tu Sol, tuque etiam Luna, & vos sidera, vos &
Collaudate Deum patres; quos carcere cæco
(Pœnarum tamen immunes) spatiosa tenebat
Tunc regio, & latè densis obducta tenebris.
Cum verò superas remeasset Christus ad auras;
Intrauit tecti foribus penetralia clausis:
Vulneraque ostendit ligno perpessus in alto

Quæ fuerat sociis vndenis: & iubet illos
Tangere corporeos artus, non corporis vmbram.
Illum accumbentem mensis videre, loquentemque,
Vt prius, æthereas cum cæli carperet auras.
Atque ipsum sanctæ comites videre parentis:
Credentesque alij plures videre prius, quam
Aethereas cæli victor conscenderet arces.
Tu vero Pater omnipotens, qui corda precantum
Aspicis, & fusis precibus placaris, & omnes
Turbine iactatos Libycis in Syrtibus audis:
Nos audi, famulumque, sacra quem sede locasti,
Sublimi & solio Gerardum protege, sancto
Nomine pro Christi subeuntem mille pericla:
Atque lupos circum innumeros, & mille parantes
Insidias procul à Belgis tu finibus arce.

IN ASCENSIONEM DOMINI.

Ad Antonium Perenottum Granuelanum Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Christus quadragesimo post resurrectionem suam die in monte Oliueti, cunctis videntibus discipulis, se in cælum sustulit, ducens secũ patres, quos ex inferis eduxerat. Describitur & ingens beatorum omnium spirituum illi occurrentium lætitia.

CHristus vbi superas cæli remeauit ad oras,
Infernasque domos, spoliataque tartara liquit,

Illa

Ille quaterdenos per soles fratribus olim,
Quos primum elegit, Galilaea est visus in oris;
Caelestique super regno admiranda locutus.
Deinde ad Oliueti montem contendit, & omnes
Sanguine coniunctos cara cum matre reduxit;
Aethereas vnde ad sedes radiantis Olympi
Ascensurus erat, mox caeli in sede locandus:
Qui iussi subito Christi mandata facessunt;
In primisque parens coetu comitata piorum,
Qui Christi fuerant vestigia sancta secuti:
Vertebantque graues in dulcia gaudia luctus:
Et superant alacres vicina cacumina montis.
Vtque locum laeti tenuere, redemptor Iesus
Effulgens radiis caelestibus astitit: & se
Ostendens illis sic suaui est ore locutus.
Hactenus ô fratres vobiscum viuere vitam
Fas fuit: at me nunc genitor in certa reuerti
Regna iubet, caelique domos. Vobis ego pacem
Aeternam linquo ipse meam. sic fatus, ab ipsa
Confestim se tollit humo: vultumque, manusque
Ad caelum tendens caelestes fertur in oras:
Atque illos linquens, illis benedixit: & omnes
Viderunt comites ipsum supera alta petentem;
Deuicta qui morte, poli fulgentia secum
Astra super, summique vias ducebat Olympi
Felices animas; piceo quas carcere dudum
Aeternus regio tenebris immersa tenebat:
Qui natum, patremque simul per laeta canebant
Carmina: & illorum resonabat cantibus aether.
Quin etiam agnouere Deum, Dominumq; paternas
Intrantem Christum sedes nitidissima caeli
Agmina; & è caelo noua lux effulsit aperto.

Illi oculos fixos supera ad conuexa tenebant;
Donec se Christus nebula circundatus alba
Digrediens terris patrias remeauit ad oras.
Qui postquam aspexit sociorum corda recessu
Iam turbata suo; demisit ab æthere binos
Sublimi subito iuuenes in vestibus albis:
Qui pauca hæc alacres placido sunt ore locuti.
Progenies Galilæa Deo dilecta; tueris
Quæ cæli æthereas intento lumine sedes;
Qualis victor ouans altum penetrauit Iesus;
Quem vos intenti in cælum vidistis euntem:
Sic olim in terram superis remeabit ab oris.
His dictis, cælum terra petiere relicta.
Parte alia aligeri iuuenes plausere per altum
Aethera; & ingenti late exultauit Olympus
Lætitia: aligerique chori cecinere vicissim
Ante fores sacras sublimis carmina cæli.
Fundebantq; sonos citharæ, dulcesq; querelas
Alituum manibus percussæ; & tibia gratos
Curua dabat sonitus, non sibila rustica: nanq;
Aduentante Deo portarum claustra patebant,
Stellantis nec non summi spatia ignea cæli:
Quæ nunquam Sol prospexit, non candida Luna:
Sed Pater has nitidas sedes, lux ipsa, beatas
Lumine perfundit; Solem qui fecit, & astra:
Et circum sonuere nouis concentibus auræ.
Hos Perenotte etiam mittit tibi Gambara versus;
Queis Christum cecinit cælum ascendisse, patresq;
Electos olim ad tutos duxisse receptus.
Atq; vtinam ille idem Christus stellantis easdem
Nos uocet ad cæli lætas post funera sedes.

IN DIEM PENTECOSTES.

Ad Marcum Antonium Amulium Cardin.

ARGVMENTVM.

Quinquagesimo post Christi resurrectionem die, super totam piorum turbam in vnum locum coactam descendit diuinus ille Spiritus ignearum linguarum instar: seditq; super singulos illos. Qui post illum cælestis Spiritus haustũ, & oĩum linguis, & sine timore vllo Christi nomẽ prædicabant.

QVinquaginta suos terris ostenderat ortus
Aurora; & totidem cursu compleuerat orbes,
Carcere perfracto postquam, patribusq; solutis
Victor ab infernis Christus surrexerat oris;
Et clarus cæli celsas ascenderat arces:
Fæmineoq; parens Christi circundata cœtu;
Et patres numero bisseni, turbaq; multa;
Secreta quæ in sede Sion collecta latebat:
Assiduaq; prece expectabant dona magistri
Iam promissa sui; subito cum lux noua circum
Visa polo est, flammarum instar, descendere ab alto,
Ingenti strepitu, magnoque immixta fragore,
Et totam lustrare domum: patrumq; supremis
Verticibus uisæ ardentes considere linguæ.
Agnouere Dei numen, promissaq; dona
Bisseni patres, pariterque electa piorum
Turba virum; quibus infusus diuinitus alma est
Aurai æthereum lumen: mox numine pleni

Mentemque, pectusque nouo; noua verba ferebant
Ad populum; & mira celebrabant laude parentem
Aeternum, ac natum, & diuini numinis auram.
Egressique domo, constanti fronte salutis
Auctorem magnis referebant vocibus vltro.
Hic aderant variæ gentes, linguisque, habituque;
Quæ siluas habitant Medorum, & diuitis oras
Persidis, atque Arabum tractus, & inhospita Ponti
Littora, quæque bibunt Tyberini flumen, & vndas,
Quæ scindunt Babylonem vrbem, Maurusia quæque
Arua colunt; arua infrænis habitata colonis;
Quæ patrio audierant illos sermone loquentes.
Atque aliquis rerum sacrarum ignarus, & almi
Occulta virtute Dei venientis ab alto
Aethere, miratus stupet in nouitate, videt dum
Talia; & ingenti tecta insonuisse fragore;
Agnoscitque suæ distincta vocabula linguæ.
Aduenit tunc ille dies, quem dixerat olim
Numine cælesti mentem perfusus Ioel:
Impia gens quamuis hausisse hos pocula musti
Diceret: at postquam diuinum infudit amorem
Mentibus accensis supremi numinis aura
Descendens cælo, haud flammam, ferrumq; timebant
Bisseni patres, & cetera turba piorum;
Intrepidi at mortem per vulnera mille petebant,
Spargentes populis diuini semina verbi.
Vnanimes Christum ante aras oremus Amuli;
Qui patriæ decora alta tuis virtutibus auges;
Pectoribus nostris ille idem spiritus adsit
Infusus, Domino in seruos demissus ab alto.
Atque vtinam Christus nobis concedat, vt ipsum
Regnantem cælo possimus cernere nostros

Post

Post obitus, miseræ post tanta incommoda vitæ;
Viuentem postquam in terris non vidimus ipsum,
Versantemque homines inter, populosque docentem;
Iordanis quos irriguis interluit vndis.
Admittasque preces vtinam pater optime nostras:
Nam furor armorum, & belli longe insonat horror;
Nostraque crudelis bello quatit oppida miles;
Et nostrum scindit pelagus iam barbara classis.
Has ponto tu merge rates: te vindice tanquam
Sint stipulæ à ventis agitatæ; sint velut altis
Arentes siluæ in saxis, quas flamma perurit;
Immissisque furit Boreas violentus habenis:
In nos quæ sæua arma ferunt, bellumq; minantur.

IVDICIVM EXTREMVM.

Ad Andream Patricium Striceconem
à Secretis Poloniæ Regis.

ARGVMENTVM.

Dicit tremendum extremi iudicij diem, enumerans multa prodigia illud præcurrentia. Quo die Christus magna cum maiestate veniés; hinc piorum bene facta, illinc impiorum scelera memorabit. Hisq; æterno igni traditis, illos ad cęlestia secum æternaque gaudia perducet.

Andrea eloquio, linguaque insignis vtraque;
Cui mens sincera est, & ab omni labe remota:
Quique

Quiq; tuis latium scriptis felicibus ornas
Sermonem: atq; iuuas gentes; quæ flumina Bætis,
Atq; Athesis, Rhodanique bibunt, & fertilis Istri:
Alta tibi moliris iter ad sidera; & inseris
Te quoque conspicuum fama cælestibus oris.
Inspice, quæ nuper cecini de luce tremenda;
Qua Christus, postquā cuncti in sua membra redibūt,
Sontibus, atq; pijs sua debita præmia reddet.
Mente diem quoties extremum, animoq; reuoluo
Cum iudex Christus sublimi sede sedebit;
Atq; tubæ totus clangore remugiet æther,
Confestimq; animæ in sua corpora quæq; redibunt;
Perpendet quas iudicio iustissimus acri,
Vnicuiq; suo infligens pro crimine pœnas;
Dignaq; pro meritis persoluens præmia iustis:
Ossa quatit toties gelidus tremor; oraque miris
Pallent nostra modis, membris seque implicat horror.
Quis non horrescet, cum toto sæuiet orbe
Pestis, dira fames, bellumq;; tremorq; sub altis
Visceribus terræ infusus terrebit vtrunq;
Littus; & arescent homines, ceu cæsa securi
Aestu abies solet in medio: signa ardua flammis,
Inq; voluta ruent; orbis soluetur in ignes
Terrificos; voluent maria aspra ad littora fluctus,
Et totum implebunt resonis stridoribus orbem?
Nanq; erit illa dies iræ Dominique, Deique,
Non hominis; qui dum totis calor igneus olim
His terris miseros artus, & membra foueret,
Quod voluit semper fecit: nam fecerat illum
Esse suæ spontis dum viueret omnipotens Rex,
Rex cæli, terræq; simul, rerumq; creator.
Sed qui seruarunt summi præcepta parentis,

Non

Non ausi fas, atque nefas miscere, piumque;
Atq; dolis capere insontes; & matribus arma
Detestata sequi; aut thalamos violare iugales;
Ignotosq; deos colere, & subuertere leges
Antiquas; veteresque patrum contemnere mores.
Instantis non horrescent hi signa ruinæ,
Labentesue astrorum ignes, non murmura ponti
Insolita, aut rapidis agitata tonitrua ventis;
Optato aduentu Domini noua gaudia mente
Concipient, & venisse alacres felicia dicent
Tempora, quæ Christus iustis mortalibus olim
Prædixit, patrijs vitam dum degeret oris;
Cùm Christus virtute sua nos firmet, opemq;
Afferat; in rebusq; potens adiutor egenis
Sit; quæ nos miseros circunstant vndique, & urgent.
Propterea non nostra timor, non terror habebit
Pectora, non mentes nostras; licet ilicet omnia
Ardua terrarum in medium mare transportentur
Sedibus è proprijs conuulsa, & mixta procellis
Aequora, terrificisq; notis turbata residant;
Atq; arctent pelagi vasta cum mole profundum.
Nec nitidus Sol ipse diem, neque Luna corusco
Lumine lustrabit noctem, nec sidera cælum.
Tunc cælo signum crucis apparebit aperto
Quæ longè Solem radianti lumine vincet.
Et Deus aligerum delectos ordine ab omni
Actutum æthereo iuuenes demittet Olympo:
Qui molem hanc mundi immensam clangore tubarum
Terrebunt resonantum auras, terramque patentem.
Horrendumque canent à magni quatuor orbis
Partibus. O gentes exurgite protinus omnes,
Funereis quarum tellus habet ossa sepulchris,

Vel cineres: Christus uocat omnes ante tribunal
Ipse suum: mora ne teneat vos vlla; tremendum
Iudicium quos expectat. tunc protinus omnes
Consurgent tumulis; atq; in sua prima redibunt
Corpora. tunc populi surgent; quos Africa quondam
Terra dedit nitidam in lucem; quos Persidis olim
Ora tulit; & quæ septem coluere triones
Consurgent gentes; quæque vltima littora seruant;
Quà Sol decedens linquit mortalibus vmbras,
Et tenebris terram inuoluit; dabit & mare cuncta
Corpora; quæ quondam tumidis immerserat vndis;
Illisit quorum scopulis cum remige puppes
Incumbens pelago Boreas, Eurusque, Notusque.
Hic aderunt Asiæ reges, domitorq; Quiritum
Cæsar, Alexander Macedo, Libyæq; tyranni;
Atq; alij heroes, quos gloria parta sub armis
Ad cæli vexit tenues septemplicis oras.
Alituum cælestum acies mysteria sancta
Sacræ crucis manibus portabunt; ille columnam,
Hic clauos, hastamq; alius, quæ pectus Iesu
Transfixit; funemq; alius, quo ductus acerbam
Ad mortem est, acri madefacta feretur aceto
Spongia mordaci cum felle in arundine summa.
Hic sertum intextum spinis, sparsumq; cruore,
Atq; alius lento confectos vimine fasces.
In medio nebula candenti incinctus ab alto
Descendet cælo fulgentem lampadis instar
Solis habens faciem Christus; quem mille sequentur
Agmina cælestum circundata tempora sertis;
Atque petet vallem, Iosaphat quam nomine dicunt,
Iudicium in cunctos exercens; clamor acerbo
Cum gemitu, & lachrymis hominũ tolletur ad auras.

Atque

Atque auras ipsas feriet: scindetur & omne
In geminas mortale genus miro ordine partes:
Et statuet dextra insontes, sontesq; sinistra.
In siluis veluti pecudes cum pastor ab hædis
Diuidit, atq; illos læua seponit, ouesq;
Dextra parte locat, iustis & lancibus æquat.
Mox dicet Christus iudex iustissimus. O nos
Felices animæ, felicia corpora, mecum
Scandite in æthereas sedes, promissaq; patris
Regna mei, æternasq; domos; quæ cuncta parauit
Ipse Deus vobis cæli cum conderet arces,
Terrasque, tractusq; maris: vos nanq; dedistis
Optatas escas inopi, potumq; uolentes
Poscenti, tristesque etiam donastis amictu,
Quo se se nudi tegerent; morboque grauatos
Tabifico, vos & latebroso in carcere plebem
Pauperie oppressam dura inuisistis; & illos
Hospitio errantes uos accepistis aperto.
Nanq; meis quæ vni ex minimis fecistis amici,
Hoc mihi fecistis; labor hic nec vester abibit
In ventos: sed certa manent uos præmia: mecum
Quare agite hinc superas læti conscendite sedes;
Vestrorumq; simul iam carpite digna laborum
Præmia. Vos autem sontes, scelerumq; phalanges,
Perpetuas ite in tenebras, ignemque paratum
Lucifero, sociisque suis: quia iussa rebelles
Spreuistis patris æterni, dum dulcibus annis
Vitalis calor infusus sua membra regebat.
Tunc iusti supera alta petent, sedesque parentis
Aeterni, æternasque domos sine fine beatas.
At contra scelerata phalanx tradetur Auerni
Ignibus, atque illam pœnæ sine fine manebunt.

Tunc digni æterna, infanda ob crimina, morte,
Lumina deiecti, vultumq; , atq; ora pudore
Suffusi, lachrymis perfundent pectus amaris.

LIBER SECVNDVS.

IN MVNDI CREATIONEM

Ad Antonium Caraffam Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Celebrat Dei Opt. Max. laudes, plurima admiranda eius opera enumerans.

DVM *colis antiquam* Troiani Antenoris *vrbē;*
Ingenuisque operam das artibus, & monumēta
Sacrarum rerum euoluis; & scripta diserti
Nunc *Theodoreti super aurea carmina* Dauid
Sermonem in latium transfers: imitatus & ipse
Ipsum te, hæc cecini numeris Caraffa *latinis,*
Egregium Graiæ, & Latiæ *decus addite linguæ.*
Vt uideas me iam Phœbum, *pariterque* Camœnas
Liquisse, atq; animum sacris intendere rebus.
Quid cessas mea lingua Deum *laudare potentem*
Tantarum & rerum authorē; quas cernimus, et quas
Nemo humili sensu potis est comprendere, vitam
Dum trahit in terris alta caligine mersam?
Iessidaq; vtinam foret in me spiritus, & uis;
Vt digno te nunc celebrarem carmine; quamuis
Carmine non egeas; toto & tibi pectore grates.
Sem-

Semper agam pro tot meritis: nanque ipse creasti
Humanumq; genus, nec non animalia cuncta;
Atque illis largè victum, viresq; ministras.
Fecistique globum Lunæ, Solemque, domosq;
Aethereas, summique decus radiantia cæli
Sidera, & immensos tractus terraque, marisque.
Nec miror Pater omnipotens, cum sis Deus, et cum
Non alius præter te sit Deus: omnia nanque
Tu solus potes; & regnas in vertice cæli,
Non picta indutus trabea, non murice, & auro;
Lumine sed claro longè tu effulgis amictus:
Immortalis honos cingit te, & gloria miris
Laudibus; extendisque uelut tentoria cælum:
Ipse tegis superas sedes calestibus vndis:
Proq; tuo curru tu nubibus uteris altis:
Ipse volas, cum uis, rapido pernicior Euro:
Atque tuos facis aligeros Pater alme ministros;
Cernere quos acies nequeat mortalis, & ignem
Vrentem: & solidam iussu, stabilemque locasti
Tellurem; quam perplexis anfractibus vnda
Oceani maris incingit ceu vestis; & æquor
Stabit aqua supra montes: quòd si tua vox nunc
Vndas increpitet (tonitru quæ personat instar)
Attonitæ huc illuc fugient quo iusseris; & se
Continuo attollent summa in fastigia montes;
Subsidentque caua valles: sedemque tenebit
Quisque datam sibi: nec tumidus facto agmine pontus
Tellurem obducet stagnis, fluctuue tumenti.
Præcipitesque fluunt latices de vertice fontis;
Qui lapsi efficiunt riuos, riui alta fluenta,
Saxosas inter longè resonantia valles.
Hinc onagri, & pecudes cum cornigero comitatu,

Visique

Vrsique, damaque bibunt. dumisq; volucres,
Arboreisue comis, exesæ aut ilicis aluo
Nidificant; resonantq; nouo loca saxea cantu.
Insuper æstiuis exusta caloribus arua,
Ipsa tibi in pratis cum pallida supplicat herba;
Tu pluuia solaris aqua, riuoque recenti:
Et passim vario fœtu saturata tuorum
Terra operum campis siluestres educat herbas,
Et flores, quos detondent pecudesque, feraque.
Dant agri frumenta, quibus nos pascimur, & quæ
Corda hominum firment, & uires artubus addant.
Dant colles dumosi oleas; ubi calculus asper
Plurimus est: quarum succo fit latior ipsa
Ipsa hominis facies: nascuntur collibus vuæ
Apricis; quarum dulcis liquor anxia curis
Corda licet sint innumeris, lætissima reddit.
Nascitur & Libani procero vertice cedrus;
Aestatis quæ non feruores horret: at altas
Attollit cælo frondes, ceu Veris in ortu:
Qua passer dulces nidos alit: ipsa chelidris
Letiferis hic præda domos sibi construit ales.
Vallibus & timidis sunt apta cubilia ceruis.
Hos etiam in montes recipit se se asper echinus;
Dum timet insidias hominum, & petit impiger antra.
Hic varia se se facie per inania cæli
Luna refert noctem collustrans lumine: nouit
Ipse suum occasum Sol aureus, atq; iter altum
Aethera per, sua dum præbet vaga lumina mundo.
At terras vbi Sol liquit; nox septa tenebris
Succedit; latebrisq; feræ; quæ concaua siluis
Antra colunt, vallesq; cauas, & frondea tecta
Prosiliunt: prædaque auidus leo sanguine multo

Lætatur ; quæritq; fremens alimenta parente
A ſummo : ſed cum ſurgens Sol aureus ignes
Aſtrorum fugat ; & renouat terraſque, polumque
Luce noua : cum decutitur de gramine nondum
Ros gelidus : ſed adhuc reficit ſua pignora tellus :
Antra feræ, ſiluaſque petunt : ſolitoque cubili
Se condunt : donec nitidi ruat ignea lampas
Solis, & infuſcet tenebris nox humida terras.
Tunc mortale genus ſtratis conſurgit auitis ;
Egrediturque domo prima ſub luce, ſuumque
Inceptum non linquit opus ; vaga lumina cæli
Accendat donec veſper, tenebraſque reducat.
Atque alius, qui rura colit, læta arua iuuencis
Præualidis pronus ſcindit ; aut implicat vlmos
Vitibus, aut texit ſepes ; aut virgea ſepta
Caprigeno pecori ſtruit, aut aluaria lento
Vimine grata apibus: donec Sol cedat Olympo.
Quam ſunt o manuũ Pater alme opera alta tuarũ
Auguſta, & præclara ; modis ſunt condita miris
Omnia, quæ cælo ſubſunt, ſupraque relucent.
Quin etiam haud tantum fœcunda eſt vbere frugum
Munere terra tuo ; verum & maris vnda repleta eſt
Illo eodem dono, quo tellus : nam freta gentes
Squamigeræ ventoſa tenent: hic nauita pontum
Audax puppe ſecat tumidum ; nec flamina curat
Aſpera ; & aduerſo venientes agmine fluctus.
Feciſti & cete : quæ cunctis monſtra ſub vndis
Omnia mole ſua : quod non ſint [illegible] æquis
Tot cæli volucres, & tot feræ monſtra profundi ;
Totq; feræ ſiluas habitantes pabula quærunt
Apta ſibi ; quæ das ſemper largaque, piaq;
Ipſe manu ; terræ fructus, prædamque miniſtras.

Si vero

Si vero iratus aliò te verteris; illis
Spiramenta animæ eripies, passimque iacebunt
Exanimes stratæ in terram, in cineremque solutæ.
Idem si cineri aspires; in prima redibunt
Corpora, quæ fuerant iam leti addicta tenebris;
Vel noua formabis; facies erit, & noua terra.
Hoc igitur tam clarum opus, & mirabile semper
Ostendit tua iam virtus; qui concutis orbem
Terrarum solo aspectu, nutuque patentem.
Si tangis summos montes, Pater alme; repente
Emittent trepidi conuexa ad sidera fumum.
Te solum laudare Deum me terra, fretumque
Audiet, & cæli longe signa ardua; donec
Ingrediens terris vitali hac luce morabor;
Decedit cum Sol, & cum se tollit ad auras,
Inque nouum tellus infusa luce colorem
Migrat; & obducta se se caligine soluit.
Atque vtinam mea vota tibi sint grata, meumque
Carmen, vt æternum possim gaudere, Deum te
Has nostras audisse preces de vertice cæli.

LVCTVS DAVID SVPER SAVLE.

Ad Prosperum Sanctacrucium Romanum.

ARGVMENTVM.

Hortatur Prosperum nunc Cardinalem, vt fratris mortem sapienter ferat. Deinde narrat quo pacto Dauid Saulis, & Ionathę necem deplorauerat.

IVstitiæ columen Prosper, lumenq; tuorum; (curà
Quem dolor amissum ob fratrem premit, & nouá
Occupat ob subitam cladem, paruosque nepotes,
Quos ille in cunis liquit; dum tu colis vrbem
Lutetiam à summo legatus missus ad ipsum
Pontifice Henricum regem; qui Gallica sceptra
Felici ditione tenet, populosque volentes.
Nec te pœniteat, si non pia funera fratris
Duxisti; aut lachrymans clausisti lumina dextra
Languida iam instantem ob mortem: nã debita iusta
Soluimus Aeneadum toto comitante Senatu;
Atque illum tumulo patrum de more tuorum
Condidimus lachrymis madidi, & sine fine dolentes.
Teque sequi haud pigeat Dauid; qui funera postquam
Saulis indoluit; lachrymis, luctuque recenti
Imposuit finem, & belli se accinxit ad arma.
Nec dubita, attollet virtus tua te super omnes
Romulidas, licet egregios, quæ affectat ad alta
Astra viam factis semper felicibus aucta.
Ad montem castra indomiti posuere Philistei
Gelboen, armatasque acies: Saul quoque gentem
Ipse suam has contra admouit: pars vtraque sed cum
Prælia pugnassent sæuissima, denique Saul,
Nec non tergemini fratres ante ora parentis
Pallida bellantum iaculis cecidere sequentum:
Nanque Philisteo tandem victoria cessit;
Largo & inundarunt cæsorum sanguine valles.
Atque Amalechite Dauid victo hoste redibat
In Siceleg; secumque viros, prædasque ferebat
Hostiles quas abstulerant facto agmine gentes.
Hanc cladem postquã accepit rex Dauid; amictus
Discidit, & lachrymis oculos perfudit obortis,

C Et

Et ducibus circumseptus sic ora resoluit.
Vos populi, qui Iudæam, Galilææque tecta,
Quique Palestinam incolitis, lugebitis, ora
Nil nisi uestra sonent lugubria carmina; quando
Militiæ flos interijt rex Saul, & vnà
Bellando illius nati, atque exercitus omnis
Corruit, & nostro fœdata est sanguine tellus.
Cesset opus ruris, sileant tabularia, & omnis
Hierusalem resonent lachrymoso mœnia luctu;
Atque sui doleant crudelia funera regis.
Non choreas, non luce sacra conniuia tectis
Ducere permittas vrbs olim assueta triumphis.
Parce & Idumæas vulgare, ô fama, per vrbes
Hanc pugnam; non Geth, non Ascalon impia nostras
Audiat ærumnas; ne læti gaudia toto
Pectore concipiant, & nostris cladibus hostes
Insultent; & fronde tegant sublimia lauri
Limina, & in medijs agitent conuiuia tectis.
Heu cecidit ferro Saul; ceu non foret vnctus
Quondam oleo in regem Solymorum. Vos iuga, Saul
In quibus, & clypeus perijt, atque Israel olim
Fama ingens, positis armis aufugit opacas
Per siluas heu quo arma modo victricia quondam,
Nunc victa, & suspensa alto sub fornice templi
(Proh dolor) Astarothi pendent; Ionathasq; sagittis
Confossus; quos vita animo coniunxerat vno;
Hos tulit vna dies. Vibrabat vulnera Saul,
Vibrabat Ionathas, armis metuendus uterque;
Et pariter bello insignes, amboque feroces;
Ambo aquilis celeres magis, atque leonibus. At vos
O matres, miseræque nurus, teneræque puellæ,
Vos non palla tegat mœstas, quæ tincta colore

Sidonio

Sidonio fuerit; donisque ornarit, arena
Quæ fert gemmifera Ganges, quæq; aurifer Hermus,
Quæque legit scopulis rubri maris incola nauta.
Non pluuia vlla super descendat Selboe montes
E cælo; nec per noctem ros decidat unquam:
Ne ue exusta siti gelidis tua pascua lymphis
Fons riget; & latices desint, & gramina siluis;
Truxque tuas Boreas vellat radicitus ornos;
Primitias commissa ferant, neque semina sulcis;
Ver & odoratos flores effundere opaca
Valle neget; tibi nec spiret leuis aura tuorum
Per nemorum colles, cælo cum Sirius ardet:
Abiectis quoniam clypeis his procubuit rex
Collibus, et terram (indignum) prono ore momordit;
Qui primus tenuit Iudææ regia sceptra;
Miles vbi aufugit bellantum territus armis.
Dixerat: atque oculos tollens ad sidera, Regem
Aeternum orauit supplex; ne linqueret illum
Inter tot rerum discrimina, totque labores.

AD PTOLEMAEVM Gallium Cardin.

ARGVMENTVM.

Quę dixerit Dauid post adulteriũ,& Vrię necem, delictorũ suorum à Deo ueniã petens.

OBscuro in thalamo, et tecti in penetralibus altis
Aethereum lucem exosus, vitamque; suosque;
Atque atra obductus læna, cum sidera nondum
Pallida sunt luce Eoa: nondumque uirentes

Pastor oues agit in siluas: quae fudit ab imo
Pectore rex David dirum post funus Vriae
Admissumque nefas quondam, ò Ptolemaee latinis
Audire haud pigeat numeris: nam tu quoque amabas
Ausonios vates, Graiosq; & dulcibus annis
Condebas felix, & non ignobile carmen:
Si fors ipse vacas, nec te tenet ardua moles
Tantarum rerum tanto sub principe, quo non
Est mage pacis amans, aut obseruantior aequi:
Felsina quem genuit Tuscorum regia quondam.
O facilis precibus flecti, lachrymisque precantum,
Has voces audi Omnipotens, quas fundimus ad te
Consuetum lapsis veniam dare; & ablue sordes,
Me miserum quibus immersi: nunc & quia nostrum
Vulnus eget magno auxilio, curaque salubri;
Ablue me semel, atque iterum; nec desere: namque
Peccatum admissum agnosco; quod semper oberrat
Luminibus coram nostris noctesque, diesque.
In te magne pater, & te spectante nefandum
Commisi scelus: & si nunc tua tot benefacta
In me commemores, cunctis notissima quae sunt,
Diceris iustus, verum ipse ingratus, & exlex.
Non ratione ipsa impulsus, sed corporis huius
Illecebris tunc succubui. nam mater in istis
Criminibus mea me genuit; quae semper in ortu
Cum primum has haurit vitales luminis auras
Fert secum mortale genus genitricis ab aluo.
Tuque tuis armis tegis illos, conscia quorum
Pectora sunt veri, nec quenquam fallere norunt.
Meque tuo egregium fecisti munere vatem
Omnipotens: & erant densis quae occulta tenebris,
Et ventura olim nostrorum in secla nepotum

Fecisti

Fecisti manifesta mihi: verum immemor huius
Muneris, & tanti meriti, tua numina læsi,
O rerum custos haud vno crimine: sed tu
Da veniam, atque mei ex animo miserere precantis:
Sim licet ingratus: nam si me aspergine sacra
Hyssopi lustrabis, ero tunc lotus, & atra
Labe carens, niue candidior; implebis & aures
Lætitia nostras, & languida robur in ossa,
Ossa diu gemitu & lachrymis consumpta redibit.
Ipse alio deflecte oculos; ne crimina nostra
Aspicias; ea me assidue sed respice flentem;
Atque animo sordes, curasque expelle sequaces:
Et nouus ille habitet rationis spiritus in me:
Corque nouum mihi sit post hac: nec me procul arce
Alme tua pater à facie; sed spiritus aura
Cælestis semper foueat tuus; & mihi redde
Lætitiam, qua dum colui te ritè, fruebar.
Auxilioque tuo ne me pater exue; mentem
Infirmam ratio imperitans fac firmet in horas.
Hoc si præstiteris, noctesque, diesque monebo
Errantes homines à recto tramite, vt ad te
Confugiant; & ero exemplar, præcoque tuorum
In me tantorum meritorum: ipse exime noxa
Me caput, auctoremque necis, sceleris que nefandi.
In laudes tunc ipse tuas mea plectra mouebo.
Tuque aperi mea labra pater, pater alme, meumque
Os de more tuas dicet tibi carmine laudes.
Si fieri vitula voluisses; scilicet aram
Victima multa tuam tinxisset sanguine: nec tu
Sanguine lætaris pecudum, dum sacra litamus:
Ast si delicti est animus sine labe, doletve
Crimina si sua quis lachrymans, vitamque nefando

Duxisse in luxu: Deus hunc haud despicis: at tu
Auxilio refoue Syon, vt mœnia possit
Iam collapsa diu sarcire, & condere carmen,
Ferreque sacra tui templi, & mea nablia plectro
Percutere, & vitulos auidis imponere flammis.
Hæc tibi semper erunt cordi solennia sacra.

AD IACOBVM PACTVM Siculum Mamertinum.

ARGVMENTVM.

Inducit Hebræos Babylonicam captiuitatem deplorantes: Babyloniq́ue male precantes.

NEC *tu carminibus sacris indictus abibis*
Pacte mihi, ob cādorē animi, & mirabile acumen
Ingenii, omnigenasq; artes gratissime cunctis,
Non nihil hæc etenim debent tibi carmina: nam tu
Hæc argumentis ornasti insignibus: etsi
Illa tibi celeri calamo perarata fuissent.
Audi; cum furiis incommoda plurima passus;
Quæ captiui olim, regnique è limine pulsi
Dixere Isacidæ ad Babylonis flumina magna.
Qua vagus Euphrates Babylonem interluit vndis
Illic nos iuxta latum consedimus amnem:
Fleuimus, & ripæ lachrymis maduere profusis;
Anxiaque erecto suspiria duximus ore
Aetheris ad conuexa: tui sed non tamen vnquam
Immemores dilecta Syon, vbi matris ab aluo

Egressi.

Egressi, has puri nos luminis hausimus auras;
Et salicis citharam ramis suspendimus altis.
Tunc illi, qui nos rigida sub lege premebant,
Bellando nostræ captos sub mœnibus vrbis:
Talia iactabant in nos ad fluminis vndam.
Eia agite ô iuuenes nobis cantate vicissim
His ripis altæ Syon memorabile carmen.
Sed nos, quo procurua modo prope flumina magni
Euphratis, terraque alia, & regione morantes,
Diuinum Domini carmen, laudesque canemus?
Irridensque sacros gens audiet impia cantus.
Quòd si Hierusalem templi, rerumque tuarum,
Oblitus tui fuerò venientibus vnquam
Temporibus, mea dextra mihi sit inutilis, & nec
Apta sit aura o percurrere nablia plectro:
Et mea lingua meis simul hæreat arida siccis
Faucibus; vt canere haud valeã, aut persoluere grates
Rite Deo, memor ipse tui si non ero semper:
Atque meis nisi lætitiis, rebusque secundis
Prætulero te Hierusalem, cum mœnia quondam,
Et templum, atque vrbis tecta instaurata videbo.
Et cum sacra feram nostro solemnia templo;
Gentis Idumææ memor esto o conditor orbis,
Et miseræ illius lucis, qua gens fera dixit.
Vos vastate domos, imoque euertite fundo
Mœnia; nec lapidi lapis hæreat: & cadat omnis
Hierusalem; templumque à culmine corruat alto.
Tu misera ante alias Babylonis filia gentes;
Quæ nostris nunc læta malis, nostroque superba
Seruitio exultas; venturæ ast nescia cladis.
Quid dicam infelix Babylon? erit ille beatus,
Qui tibi damna dabit, quæ nos accepimus à te;

Et qui te bello euertet; dehinc inferet ignes;
Et dulci matrum amplexu, gremioque gementes
Auellet natos, saxoque illidet acuto.

AD SERAPHINVM OLIuarium Gallum Rotæ Auditorem.

In duritiam cordis Iudæorum.

ARGVMENTVM.

Inuehitur in Hebræos: qui cum cęlum, atq; elementa omnia auctorem suum cognouissent: soli ipsi perpetua cordis duritia laborauerunt.

HEbræum quendam populū dominator Olympi
Ceruicis duræ populum, Seraphine, vocauit:
Namq; deos coluit toties, quos sacra vetabat
Lex Mosis, patre ab æterno descripta tabellis
Marmoreis: Deus omnipotens hunc duxit ab oris
Aegypti in latas sedes, promissaq; regna:
Illorumq; fuit Deus hostibus hostis, & illos
Protexit semper clypeo, fouitque: nec orbe
Toto erat vlla magis gens summo grata tonanti:
Et tamen obliti meritorum externa colebant
Numina; & illorum redolebat odoribus ara.
Vnde Deus multis olim si cladibus illos
Affecit, meritò affecit, liquitq;: nec vlla
Illorum remanent veteris vestigia regni:
Regnum etenim penitus Iudas amiserat, ex quo
Externum vidit regem frænasse potentem

Hieru.

Hierusalem haud mitis imperio: quo tempore nasci
Infans ex Maria debebat Virgine Christus:
Illorum ut uates venturi haud inscius aui
Prædixit dicens. Non Iudæ regia perdet
Sceptra domus; donec veniat Rex magnus, et ipsum
Ipsum omnes gentes qua Sol cadit expectabunt,
Quaq; redit, rediensq; diem fert lucidus orbi.
Nec Christum agnouit gens hæc incredula: quãuis
Illius longè facta admiranda videret:
Nam solo cunctis verbo languentibus omnes
Expulerat subitò penitus de corpore morbos:
Reddiderat mutilis membra; & vestigia claudis
Aequarat solito gressu: lumen dabat illi,
Qui nunquàm vidit lucem: & reuocabat ab oris
Infernis homines ad cæli luminis auras;
Præcipuè Marthæ fratrem; Betania tellus
Quem tumulo exanimum iam quarta luce tenebat;
Et propè iam in terram gelidos mors verterat artus;
Iactabatq; grauem malèolens iam corpus odorem.
Hunc tamen ad superas oras reuocauit Iesus:
Quem circunfusæ gentes videre mouentem,
Tollentemq; caput tumulo, & sua verba loquentem;
Atq; cibum capere, & positis accumbere mensis.
Agnouere Deum præsentem elementa, poliq;,
Quem Virgo dederat partu: nam regia Cæli
Conspicuam ediderat stellam, quæ duxit ab oris
Auroræ ad Solymorum vrbem tunc terna ferentes
Dona Magos Christo infanti. Sol insuper ipsum
Aethere prospiciens morientem obscurus ab alto
Immersas liquit picea in caligine terras;
Tantorum ne tunc scelerum spectator adesset.
Et mare cognouit Dominum; cum feruida ventis

Aequora placabat verbo: cognouit & illi
Calcandum cum se exhibuit; vestigia Christi
Abluit haud rapida vnda maris; licet ille per vndas
Ferret iter. Tellusq; illo moriente dedit tunc
Signa sui expirantis heri: nam victa dolore
Ingemuit, tremuitq; sacro madefacta cruore
In cruce pendentis Domini: & ceu fissile lignum,
Sunt scissæ lapidum moles; velumque repente
Est templi scissum in geminas (mirabile) partes.
Agnouit barathri sedes, animasq; remisit
Sanctorum plures: nam corpora multa piorum
Surrexere virum, & multis sunt visa: sed ipsa
Nesciuit Iudæa suum Dominumque, Deumque:
Viderit illa licet templo, & per compita Christum
Summi æterna Patris populos præcepta docentem;
Quem venturum olim Bethlem prope mœnia norat.
Quin in eum lapides iactare uolebat: at ipse
Abscondit subitò sese, templumq; reliquit.
Hæc cecini Seraphine, Deo dum tu colis vrbem
Ante alias longè gratam; quam diuidit vnda
Tybricis, intorteque petit salsa æquora cursu:
Esque viros inter duodenos, qui sacra reddunt
Iura simul populis, quos aspicit auricomus Sol:
Tuque tua te tollis humo probitate, tuoq;
Ingenio; tendisq; viam vaga sidera versus,
Iustitiæ pectus miro inflammatus amore.
Interea nostri non immemor hoc lege carmen.

IN

IN ASSVMPTIONEM B. MARIAE VIRGINIS.

Ad Matthæum Contarellum Cenomanum Gregorij xiij. Datarium, vt vulgo appellant.

ARGVMENTVM.

Maria aduentante mortis hora, duodecim Apostolos, ex diuersis orbis partibus diuinitus illuc allatos: narrantesque quæ pro Christo fecerint, quaq; passi fuerint, consolata: atque ad quaslibet acerbitates pro eo perferendas exhortata: sanctissimã Deo animam reddidit: quæ magna Cælitum lætitia in summũ cæli fastigium recepta est.

SCandentem postquam natum sanctissima Virgo
Vidit Olympiacas sedes, atq; ardua cæli
Atria; qua lux clara polo lateque refulget
Splendidior Solis radijs cum surgit ab alto,
Et cælum, nitidaq; relucet lampade tellus:
Et recolens illum rediisse ad luminis auras
Post ternos Soles barathri è caligine densa:
Et tandem à nato se se in supera alta vocari:
Ipsa parens studio ingenti loca sacra petebat
Supplicibus venerans votis: nam vixerat annos
Ipsa aliquot dulcis post nati funus acerbum:
Funere quo vatum monimenta antiqua videbat

Ad finem perducta suum, certamque salutem
Morte dedisse sua populis, stirpiq; futura.
Multa animo euoluens miracula, nunc quibus ægris
Auxilium tulerit, viliq; exurgere lecto
Iusserit, & digito surdas recluserit aures;
Oraque, luminaque, & gressus æquauerit ipsis
Haud pariles claudis; hominumq; è pectore monstra
Expulerit; monstra è cælo detrusa profundum
In barathrum; ad superas & quos reuocauerit auras.
Quòd natum in templo ternos post deniq; Soles
Quæsierit mœrens etiam; cum sede sederet
Inter primores vrbis, templique ministros;
Et patris æterni inuenit præcepta docentem.
Deinde locum accessit, vacua quæ rupe labores
Non vllos experta, solet quos fœmina partu;
Nullum passa virum peperit regemque, Deumque.
Crediderim Christi matrem dixisse prius, quam
Desereret lucem hanc; nostrisq; recederet oris,
Talia, deserto sistentem in limine gressus.
Ante alias felix sedes, & conscia nostri
Virginei partus salue: tibi cernere Christum
Fas fuit hoc tecto natum, cum luminis auras
Primum hausit puer ipse; noua cum luce refulsit
Hæc sedes, quanquam nigranti inuolueret orbis
Nox vmbra molem immensam; carmenq; canentes
Audisti aligeras acies, plaususq; per altum
Aethera; pastoresque rei nouitate, nouaq;
Attonitos luce in densis radiante tenebris
Vidisti. tu testis item quæ munera gentes
Attulerint; quas stella micans deduxit ab oris
Auroræ, & puero dederint. Sed tu quoq; salue
O nox; quæ nobis tot gaudia læta tulisti,

Cuiq;

Cuiq; frui licuit diuinis cantibus: & mox
Accelerans Solymam rediit: dehinc luce sequenti
Vicinum lachrymis perfusa tepentibus ora
Conscendit montem; quo nati corpus in alta
Exanimum cruce conspexit: dehinc anxia dixit.
Hoc te nate loco aspexi, cum barbara gens te
Duceret horribilem ad mortem; palmasque, pedesq;,
Transfixumq; latus, & spinea serta gerentem.
Prò scelus; hic turpi tua languida lumina morte
Conspexi; & terram maculantem sanguine multo.
Et mox ad tumulum Christi uestigia flectens,
Hic ego te lachrymans, inquit, dulcißime nate
Ipsa sinu accepi respersum membra cruore:
Te vidi & positum nocte adueniente sepulchro.
Hos Symeon luctus olim cecinit mihi, dicens.
Ipse tuum pectus transfiget letifer ensis.
Aduenit tunc illa dies mihi amara, mihiq;
Dura nimis matri, his oculis tam saeua videnti.
Hos dabat, atq; alios gemitus mœstissima mater,
Marmoreum manibus geminis complexa sepulchrum.
His dictis, ad montis iter iuga frondea durum
Flectit oliuiferi: quæ postquam venit ad alta
Culmina, suspexit cælum, & sic ore locuta est.
Nate Patris summi noua gloria, spesque, salusq;
Certa hominum, duce quo cælum sperare iubemur:
Linquentem hic humiles terras, & regna petentem
Debita te Christe his oculis mea viscera vidi;
Atque choro procerum magno comitante secantem
Aethera, calestesq; vias stellantis Olympi.
Ast ego cur sine te his terris moror? accipe tecum
Hanc animam, corpusq;; iube & me linquere sedes
Has humiles, tecumq; poli in penetralibus æuum

Ducere perpetuum, promissaque cernere regna.
Talia dicebat tantos meditata labores.
Sed suprema dies cum iam aduentaret, & aura
Vitalis Mariæ mortales linqueret artus:
Diuersis subito rapti è regionibus adsunt
Bisseni proceres, quos olim elegerat ipse,
Ipse sibi comites Christus, sociosque laborum.
Ille licet sedes Italas, hic Persidis vrbes,
Ille & odoratos felici gramine campos.
Et subiecta alius septem quanquam arua trioni
Lustrarent; iussas vt quisque accesserat oras:
Vt Mariæ extremo decorarent funus honore.
Protinus inuisunt dilectæ limina matris
Multa volutantes alto sub pectore; & illam
Accedunt, illamque alacres vno ore salutant:
Quos placido excepit vultu, lætataque mentem est.
Dum sua quisque refert quæ sit mala plurima passus
Dum populis fidei iactat fundamina nostræ;
Perque manus ipsorum etiam miracula narrant;
Quæ fecit Deus omnipotens vulgata per oras;
Quas ingens mare circundat, atque alluit vndis.
Tunc Virgo grates egit pro munere Patri
Aeterno; atque illos ob nati numen acerba
Tot passos, & plura pati est hortata, neisque
Omne genus, dicens illis, post funera quæ vos
Regna manent, nati ò comites, dum viueret, & post
Illius mortem vestigia sancta secutos.
Ergo vbi vitales auras Maria alma reliquit,
Reddidit atque animam Solis radiantis amictam
Luce noua, septamque choro per inane canentum
Alipedum illius laudes, natique, Patrisque.
Aethereum in thalamũ Virgo est assumpta; sedet que
Stellanti

Stellanti in solio regum Rex magnus; & astra
Aurea circundant illam: supraque nitentes
Alituum exaltata choros, effulget amicta
Sole inter cælestum an mas radiantis Olympi.
Tunc latè insonuit variis concentibus æther;
Et noua lux cælo effulsit, plausumque dedere
Templa per ætherei ciues cælestia: suntque
Diuinæ aduentu testati gaudia matris.
Hoc media cecini carmen testudine, qua se
Aerias templum Ludouici attollit ad auras,
Centarellæ decus Celtarum insigne potentum;
Hic vbi Mygdonio è saxo nunc construis aram
Almæ sacratam Mariæ Salue inclyta Virgo;
Quæ cælum, & noua regna tenes: nos aspice Olympi
Excelsa de sede, viamque ad sidera nobis
Da facilem: vt tecum, postquam functa dies nos
Lumine depulerit tristis vitæ, astra petamus
Cælicolum digni aspectu, & cælestibus oris.

AD FERRANDVM Farnesium Episcopũ Parmensem.

ARGVMENTVM.

Mariam Virginem amplissimis laudibus celebrat.

DVM colis egregiã, quã Parma interluit, vrbẽ,
Inuisisq; tuos populos, templiq; ministros:
Quo pastore greges carpunt bona gramina siluis,
Atque bibunt liquidos subter nemora ardua fontes;

Optatosq;

Optatosque ineunt ad Parmæ flumina somnos:
Ferrande hoc sacras mecum dic carmen ad aras
Virginis in laudem genitricis; quæ dedit almam
In lucem auctorem lucis; quo sola refertur
Nostra salus; via qui recta est ad lucida cæli
Atria, & ad superas sedes radiantis Olympi.
Sim licet ingenio tenui, nec diuite vena
Contexam tales versus, quales sacer olim
Condiderat Dauid venturi haud inscius æui
Summum concelebrans æterna laude parentem.
Alma Dei genitrix virgo, vt cecinere beati
Tot vates; ne sperne preces, quas fundimus ad te
Vnanimes, & thura, sacris quæ incendimus aris.
Aspice, dum templi postes ornamus odoris
Floribus, & folijs bene olentibus; & bene facta
In nos dum canimus tua, te & veneramur ad aras
Aspiraq; pijs votis: nam certa salutis
Es via tu nostræ: tu nunquam fallis amantes
Te, puerumq; tuum, summi tu sola potentem
Concilias nobis cæli, terreq; parentem.
Et tu stella maris; quæ non se condit, ut astra
Cuncta solent; toto irradias tu semper Olympo:
Cui cedit splendore nitens Luna, & rutilus Sol;
Ille diem terris quanquam vehat; & vehat illa
Sydereæ noctis clarum pulcherrima lumen.
Et tu mente humili es puteus virgo alma profundus;
Tuq; eadem insigni virtute es turris ad astra
Te tollens; & sydereis te sedibus infers.
Te supera alta colunt; sedesque inferna tremiscit.
Te genus obseruat mortale, vocatque parentem
Intactam; partu quamuis hominemque, Deumque
In lucem claram edideris Dauidica proles.

Tuq;

Tuq; choros elata super sanctissima Virgo es
Aliuum, qui regna tenent cælestia. Tuq; es
Cedrus odora velut; quæ pridem educta supremo
In Libano summum sublimi vertice vincit
Aera, & aerijs se se ardua nubibus infert.
Purior es Solis radijs, cum surgit, & oras
Luce noua primùm Eoas, dehinc littora nostra
Illustrat. tu palma etiam pulcherrima siluas
Inter Idumeas, oleæ tu fertilis arbor
In campis speciosa nites. tu flumina ad alta
Se tollens platanus frondoso vertice; tuq; es
Pestano rosa nata solo, Hiericone rubenti.
Tu nitidi solis radios induta, premisq;
Tu Lunam pedibus. et te duodena coronant
Sydera: tuq; etiam radianti incedis amictu
Virgineo comitata choro. tibi plausibus æther
Insonat; & cæli fundunt noua carmina ciues;
Atq; tuas celebrant laudes. tibi nec draco soli
Antiquus nocuit, quamuis capita ardua haberet
Septena, & species foret illi corporis ingens.
Tuq; pudicitiæ speculum mirabile: nanque
Nulla in te macula est. cæli tu pulchrior astris.
Gloria tu vatum; quondam qui carmine Christi
Ex vtero cecinere tuo sub luminis auras
Venturum: lucem insolitam mortalibus ægris,
Errabant qui tunc tenebris, virgo alma tulisti.
Te iuuenum pennata cohors plaudentibus alis
Concinit; & resonat concentibus arduus æther.
Tu cæli iubar es, tu cœli ianua, quæ iam
A nato patefacta tuo est. tu perpetuus fons,
Ex quo dulcis aquæ leni cum murmure riuus
Effundit se se, & fœcundos irrigat hortos;

Quos nostri coluere patres; quos & colit omnis
Gens; seruat quæ nunc summi præcepta parentis.
Et summi tu sponsa Patris, tu mater Iesu;
Mortales maculas fuso qui sanguine tersit;
Pro nobis Maria alma tuum natumque, Patremque
Aeternum exora: nos vt post funera dignos
Efficiat pietate sua cælestibus oris.

LAVDES BEATAE MARIAE VIRGINIS.

Ad Gabrielem Paleottum Cardinalē.

Titulus sit pro Argumento.

DVM Paleotte hominū vitas, & crimina discis,
Spargis & in populum diuini semina verbi
Commissum tibi, nec pateris se attollere campis
Infelix lolium; atque malas radicitus herbas
Vellis, & arentes siccas das insuper igni.
Huic & oues da Christe tuas ita pascere; quæ nunc
Felsineos tondent saltus, securaque potant
Flumina: vt ipse olim valeat tibi reddere nulla
Infectas scabie, non vellera cana peresas
Illuuie: at tanquam fluuio demersa salubri
Exuperent parium marmor candore, niuesque.
Ipse canam Mariæ laudes, sed non tamen omnes:
Quas qui scire velit, idem numerabit aristas
Flauentes; secat in campis quas falce colonus
Incola totius terræ, fluctusue marinos.
Qua te voce canam, quibus & te laudibus ornem
Terrarum

Terrarum, cælique decus, purissima Virgo?
Ipsa etenim primi nata es sine labe parentis:
Ortus & est sol iustitiæ Christus Deus ex te:
Qui mortale genus tenebris, & nocte profunda
Errantem in nitidam lucem lux ipse reduxit:
Qua sine non surgens accenderet aurea vesper
Sidera; non Solis radij, non candida Luna
Lustrarent molem hanc orbis; vagus ille tenebras
Dum pellit lucem inducens; Luna aurea claris
Sideribus comitata, suo dum lumine vestit
Sublustri cælum, & pelagus, terrasque patentes.
In sua vota vocat te nauita; cum mare fundo
Aestuat; & rapidi voluunt freta concita venti.
Inque fugam aduerso conuersus miles ab hoste
Te semper vocat auxilio: siluisque uiator
Luciferi insidijs hominum deprensus in ortu
Alta suos tendens ad cæli sidera vultus,
Illorum duce te sperat se euadere fraudes.
Te mulier dubij metuens discrimina partus
Inuocat extensis manibus, pictamque tabellam,
Donaque multa tholo partu iam libera figit.
Mortales summis celebrant te laudibus omnes;
Qua linquit nos Sol; & qua se tollit ab oris
Auroræ, secum ducens lucemque, diemque.
Tu nitidum cæli es lumen: tu regis ab alto
Sanguine Dauidis longo genus ordine ducis.
Diuini genitrix uerbi, rerumque parentem,
Vnigenamque tuum nobis sanctissima Virgo
Concilias; ira accensi, iustoque furore
In nos sint quamuis Tu præstantissima Virgo
Es longe formosa; licet sis fusca colore.
Tu nostri generis longe prælata puellis

Omni

Omnibus es patre ab æterno: et quem non capit orbis
Maximus, ille tua, tua viscera Christus in aluo
Se clausit: quem mox natum prope paruula Bethles
Mœnia adorauère Magi *tria dona ferentes.*
Tu tutela homini es, morbo cui languet acerbo
Corpus: & inclusos non linquis carcere iustos.
Tu virga es Iesse*: tuq́; es* Gedeonis *in agro*
Rore leui madidum vellus: tuq́; es rubus altis
Eductus siluis; quem flamma inuoluerat ingens:
Qui (mirum) vt magno non est combustus ab igne:
Sic tua virginitas non læsa est; tu licet almam
In lucem sobolem dederis Virgo *inclyta partu.*
Nam qui virginea Mariæ *conceptus in aluo est,*
Ipsam, conciperet dum Virgo*, prorsus ab omni*
Labe pudicitiæ seruauit; & editus auras
In tenues idem matris seruauit honorem,
Virgineumque decus concessum munere ab ipso
Patre Deo Mariæ *soli, admirabile donum.*
Et quem dum pareret non est perpessa dolorem;
Hunc post mœsta tulit dilecti in funere nati.
Nam quem rectorem superum, rerumq́; parentem
Insolito partu agnorat; tunc turpiter inter,
Ceu sontem, sontes positum conspexit; acerba
Tristitia concussa animum, corpusque dolore,
Ceu gladio matris præcordia ad intima adacto.
Quid nam splendidius Maria *est; quā splendor ab alto*
Descendens cælo elegit? Quid purius illa
Quæ Christi corpus genuit sine corporis vllo
Contactu alterius? Quid nam formosius illa;
In terris, cui concessum post funera soli
Assumi ætherea vna cum corpore sedes?
Atque illa quid nobilius, quæ sola supremum

Ferre

Ferre vtero meruit cæli, terræque parentem?

Alma Dei genitrix Virgo, quæ clarius vllum
Lumen nec terræ, nec habent celsa atria cæli;
Dum nos exigua hac cymba freta mota tenemus
Incerti quo nostra ferant vaga lintea venti,
Spirantes modo ab axe, riget qua frigore tellus;
Et modò qua madidis Auster ruit horrifer alis:
Da nostram hanc puppem portus intrare, marisq;
Per fluctus tutam ire viam. non te duce Syrtes
Non Maleæ horribiles cautes, fluctusq; timebo.
Vnigenamque tuum, mihi qui dominusq;, Deusq; est,
Et fuit, & mihi semper erit, ne deserat ora:
Ne veluti steriles ornos, filicumque maniplos
Ignibus iniiciat rapidis me, post vbi vita
Liquerit exangues artus, iaceamque sepulchro.

IN MICHAELEM ARCHANGELVM.

Ad Siluium Antonianum Romanum.

Ob breuitatem argumento non indiget.

DEductum hoc mecum carmē Michaelis ad aram
Dic Silui, precibusq; Deum, ut nos audiat ora
Assiduis, pietate sua: nanque ipse sacerdos
Aeterno tu sæpe facis pia sacra parenti.

Dux exercituum Domini clarissime & omnis
Militiæ illius, sumptisq; acerrime telis:
Luciferum qui elato animo de sedibus alti
Aetheris in barathrum bellando detrusisti,
Illiusq; simul comites: tu posce parentem
Aeternum, vt dignos faciat nos sedibus illis
Post obitum, quas hæc olim gens sæua colebat.

IN S. IOANNEM BAPTISTAM.

Ad Ioannem Baptistam Stellam Brixianum Vincentij F. congregationis Casinensis generalem Procuratorem.

ARGVMENTVM.

Celebrat Ioannem Baptistam, quòd è matre sterili diuino miraculo natus sit: quòd adhuc puer in deserta loca secesserit: quod plurimos, & in ijs Christũ in Iordane baptizauerit. Postremo deplorat eius necem; quòd longè omnium præstantissimi vatis caput meretriculæ filia in precium vnius saltationis acceperit.

TEMPORE *quo sceptra immitis Iudæa tenebat*
Crudeli imperio Herodes de semine turpi
Cretus Idumæo: nec adhuc Saluator in aluo
Virginea Mariæ Christus iam sumpserat artus
Humanos: claro de sanguine Zacharias
Vir fuit; & tota vates celeberrimus urbe
Hierusalem; coniux erat huic sanctissima matres
Elisabet Solymas inter de sanguine Aronis:
Quæ sterilis longum mærens transegerat æuum:
Quos multa circum undebat tarda senectus
Caniciæ, prolis spes & defecerat omnis;
Quamuis sæpe pijs precibus, lachrymisq; parentem
Aeternum orassent optatæ munera prolis.

Ambo-

Amborum tandem miserans pia vota, precesque
Audijt Omnipotens: festa nam luce sacerdos
Cum faceret sacra in templi penetralibus; atq;
Ferret thura Deo peragens mysteria, sacri
In dextro altaris cornu pulcherrimus ore
Nuncius effulgens radiantis sideris instar
Astitit, haud vlli visus, nec cognitus vlli.
Perculsus subito obriguit terrore sacerdos;
Et concussa metu mens est. Tunc talibus illum
Nuntius alloquitur cælo demissus ab alto.
Ne trepida longæue senex, ast excute uanum
Corde metum: nam te cælo Deus audijt alto
Orantem precibus vna cum coniuge: coniuxq;
Elisabet tua sit senio licet obsita longo,
Tuq; simul; tibi concipiet tamen illa virilem
Progeniem; partu puerumque enixa parentem
Te faciet; quo nec maior, nec sanctior inter
Vllus erit tunc mortales: dehinc pauca locutus
Sustulit in cælum se versicoloribus alis.
Ast vbi promissi venerunt tempora partus,
Luxque optata diu cælesti effulsit ab arce,
Infantem Elisabet genitrix effudit ab aluo.
Vndique conueniunt consanguinitate propinqui:
Totaque Iudææ pubes montana peragrans
Confestim tendunt ad limina Zachariæ;
Et teneri cupiunt pueri sacra tangere membra;
Atque insperatæ celebrant natalia prolis;
Lautaq; dispositis ducunt conuiuia mensis.
Vix puer interea teneros expleuerat annos;
Cum liquit patriam, & nemorum deserta petiuit;
Hic vbi siluestris sugebat pabula mellis;
Atque dabant victum fructus, quos silua ferebat:

Sedabantq; sitim fontes; durumq; cubile
Instratum ramis antrum præbebat in alta
Rupe patens: non vestis erat saturata colore
Sidonio; at corpus totum vestibat amictus
Consutus villis temerè vlla haud arte cameli.
Postquam illum firmata virum iam fecerat ætas;
Aeterni patris monitu nemora alta reliquit;
Et liquidi accelerans Iordanis venit ad amnem:
Atq; homines vitæ exactæ commissa monebat
Delerent lachrymis, spargens fluuialibus vndis.
Deinde redemptoris Christi venerabile corpus
Abluit: id veluti indignus quod tangere primum
Abnuerat: niueæ sub imagine deinde columbæ
Spiritus è cælo lapsus supra astitit illum;
Voxq; patris dulcem nati testantis amorem
Audita. Hinc Christum tollentem crimina mundi
Exclamat, monstratque Deum certissimus index:
Quem Virgo peperit nullos perpessa dolores;
Quem toties Solymi uates cecinere per oras
Iudææ venturum olim de semine Dauid;
Auferret primi qui mox peccata parentis:
Atque fores clausas, summi & penetralia cæli
Panderet; atque hominem è terris trãsferret Olympo.
Dum verò Herodem argueret de crimine; qui tunc
Vxorem fratris thalamo sociarat iniquo;
Insidias odio mulier simulata parabat;
Perderet vt vatem tanti sibi conscia probri.
Ac dum rex medijs ageret conuiuia tectis
Natali redeunte suo; pedibusq; puella
Plauderet hic choreas incœstæ filia matris,
Docta mouere pedes, & se conuertere multos
In gyros simul ad dulces cithareque, lyræq;

Concen-

Concentus; regi placuit, cætuq; virorum.
Tum dapibus, vinoq; madens rex talibus infit.
Explora, ò virgo longe formosa, quid optes:
Ipsa licet poscas à me, dulcisſima, regni
Dimidium; nullam patieris spreta repulsam.
Illa caput petijt, referens mandata parentis,
Carcere preclusi dudum Ioannis: *& esset*
Quanquam rex tristis; iussit tamen ilicet ense
Ioannis *caput abscindi: quod læta puella*
Attulit ad matrem disco fulgente repostum.
Crudelis, pateram potuit qui sanguine plenam,
Abscissumque caput tanti venerabile uatis
Cernere conuiuas inter, mensamque, dapesq;
Illa luce, hausit qua primum luminis auras.
Lugete ò virides siluæ, & resonæ conualles,
Antraque, & exesæ rupes; quas ille colebat
A teneris annis, primoq; à flore iuuentæ:
Nam nece Ioannes *raptus vos liquit; & vltra*
Fas erit haud illum siluis audire canentem
Aeterni patris laudes, venisseq; pacis
Auctorem, lucisq; Deum *sub paupere forma,*
Verum occultantem numen, caligineq; atra
Aduenisse homines reuocare ad limina vitæ.
Hæc sunt quæ cecini flauas ad Tybridis *vndas*
Illius in vitam, & mortem; quem nomine reddis
Ioannes Baptista, *tui non immemor vnquam:*
Nam veluti cunctos cælestes diligis inter
Præstantem meritis Baptistam: *sic ego semper*
Te colui, semperq; colam venientibus annis,
Donec me cæli spirabilis aura fouebit.
Tu quibus officijs me iuueris; abdita seruo
Scilicet æternum memori sub pectore gratus.

Naturaque tua facili doleo, atque carere
Stella tuo dulci alloquio, pariterque parentis.
Sed vice sermonum tibi erunt hæc carmina nostra
Exoptata tibi; donec me Brixia, tuque
Post hanc inuisam æstatem, Solesque videbis.

PRECATVR DEVM SVB persona Ioannis Baptistæ Stellæ Monachi Congregationis Casinensis.

ARGVMENTVM.

Sub Ioannis Baptistæ persona se, suosque Deo commendat.

DA mihi consuetum robur, nec desere: nanque
A teneris in te posui mea vota, meamque
Spem, Pater omnipotens, omnem: rebusque paternis
Posthabitis; non ignarus, qui te colit vnum
Ex animo, & tua sancta libens mandata facessit:
Sit rapidæ quamuis Maleæ penè obrutus vndis;
Ionioue mari ventis surgentibus illum
Incolumem seruas: quique in te viuit ab omni
Semotus rerum cura, populique tumultu;
Non eget Attalicis opibus, regumque potentum
Auxilio aduersis in rebus: nec magis vlla est
Victima grata Deo, quam mens syncera, fidesque,
Et vacuum sceleris pectus: sed tu mala nostræ
Gaudia pelle procul mentis; seruaque precantes

Meque,

Meque, meosque simul; qui te de more canunt, dum
Sol lustrat terras, & postquam cessit Olympo.

IN PETRI VINCVLA.

Ad Pyrrhum Tarum Romanum.

ARGVMENTVM.

Narrat quo pacto D. Petrus ab Herode in carcerem coniectus, diuinitus sit liberatus.

Herodes vlli haud hominum feritate secundus,
Scilicet & Solymo tumidus præcordia regno:
Maior Iacobus ferro postquam illius auras
Vitales morte indigna, & sine crimine liquit:
Iudæis morem vt gereret, mandauit & ipsum
Insontem claudi tenebroso in carcere Petrum,
Sacra volens illum cupido Paschalia demens
Proxima post vinctum populo producere; eumque
Supplicio afficere horrendo: mora nulla ministri
Ardentes Petrum latebroso in carcere condunt;
Quem duo custodes seruabant compede vinctum
Hinc, atque hinc positi, posita & custodia portæ.
Cunctorum interea mærebant turba piorum:
Fundebantque preces sua lumina conuertentes
Aetheris ad Regem supremum; ne caput atro
Linqueret ipsorum coniectum in vincla Simonem
Carcere: sed spatiis cum nox æqualibus altum
Humida diuideret cælum, & iam somnus haberet
Per terras mortale genus, pecudesque, ferasque;
Vellet & Herodes illum producere primo

Mane necem ad sæuam: summo demissus Olympo
Aliger est iuuenis iussu patris omnipotentis
Humanam speciem referens; & carceris atras
Ingreditur latebras: quo protinus ipse refulsit
Luce noua aduentante locus; altoq; sopore
Excitat oppressum Petrum, dextraq; iacentis
Percutiens latus hæc dixit. Surge eia age Petre.
Ad vocem illius subito se erexit, & alto
Corripuit se se è somno; manibusq; cathenæ
Confestim fluxere: dehinc ita nuntius infit
Aliger. Ipse tuis nunc te indue uestibus, & me
Actutum sequere accelerans: tunc impiger illi
Paruit, hærebatq; pedi pes illius; & iam
Aequabat iuuenis gressus properantis ad ipsam
Carceris æratam portam, quæ spectat ad vrbem;
Olli quæ subitò patuit: Petrusq; putabat,
Dum iuuenem sequitur, se somnia vana videre.
Cumq; vrbis partem transissent; ductor in auras
Aerias properè pansis se sustulit alis.
Caleste auxilium summo de vertice cæli
Demissum agnouit Petrus: nam reddita postquam
Illius menti lux est; vmbræq; fuerunt
Discussæ, in se se rediit, dixitque. Ego verè
Nunc scio me ereptum imperio, manibusq; profani
Herodis, populiq; simul; qui nostra videre
Funera sperabant, cum primo lumine rebus
Redderet alma dies terris infusa colorem.
Non ope mortali factum est, non arte magistra
Hoc opus; ipse Deus cæli de sedibus altis
Demisit iuuenem alatum, qui vincula rumpens
Ferrea, me in lucem nigranti è carcere duxit.
Tu mecum dic Pyrrhe sacras hæc carmina ad aras.

Iusti-

Iustitiæ cultor Pyrrhe, & fidissime legum
Interpres, candore animi non vltimus inter
Mortales; quibus est cordi rectumque, piumque.
Christe tuæ nobis pateant orantibus aures:
Vtque Petrum picea duxisti è carceris vmbra
In nitidum cæli lumen, mortisq; periclo
Eripuisti illum: da sic euadere nobis
Hanc belli pestem accensam terraque, marique,
Et rege nos, donec veniat meta vltima vitæ,
Oppressos longo senio, multoque labore:
Nam dulces abiere dies, ceu versus ab Euro
In tenues auras montano in vertice fumus:
Et tanquam torris rapido consumptus ab igni.

IN S. PAVLVM APOSTOLVM

Ad Federicum Ranaldum nunc Bibliothecæ Vaticanæ custodem.

ARGVMENTVM.

Narrat qui ab impietate ad Christum sit conuersus; quanta pro eo passus sit; quot regiones peragrauerit Christianam pietatem docendo: quodque tandē Romæ cum Petro sub Nerone martyrij palmam adeptus sit.

SCriptores Latios, Graiumque volumina dum tu
Euoluis Federice, leges Ranalde pericla;
Et vitam Pauli breuiter; quam mittimus ad te
Dum patrias colis ipse oras, qua currit Aternus,
Adriacosq; sinus vitreo cum flumine tendit;

Et tua culta rigat Radiani ad mœnia parui.
Dum peteret Saulus multis comitantibus vrbem,
Quæ prima est Syriæ, diuesque, opulentaque rerum,
Ore vomens rabiem, spiransque immane, minansque,
Ceu lupus in sacrum Domini, vel tigris ouile:
Ad subitam Christi vocem mansuetior agno
Euasit: cum lux cælo demissa sereno
Circunsepsit eum, & strauit, lumenque repente
Occidit; atque oculorum aciem obduxere tenebræ.
Quique prius Christi fuerat cultoribus hostis,
Hostis atrox, tinctasque manus insontis haberet
Sanguine: dehinc sancto pro Christi nomine pœnas
Viuens sustinuit varias; & denique mille,
Diuersosque etiam terra, pelagoque labores:
Obrutus & saxis, ponto & ter naufragus alto;
Atque ignominiam passus, tergoque flagella.
Salue Paule pater; prisco tibi nullus ab æuo
Sanctorum eloquio certauerit: omnia cedant
Secula, quæ fuerunt, & erunt venientibus annis.
Nil equidem mortale sonas, dum tu ora resoluis
Aurea, diffundens diuini semina verbi.
Tuque Deum spirans, diuino & numine raptus
Tertium ad æthereum cælum, sedesque beatas,
Audisti, mortali vlli quod dicere non est.
Iudæasque tuis terres sermonibus vrbes;
Et reseras illis sacrorum oracula patrum;
Et Christum aduenisse piis iam patribus olim
Promissum memoras fora per, per templa, domosque.
Tuque Asiæ terras peragrasti, & Persidis oras
Atq; Arabũ; Hispanosq; situs, Cyprumq;, Rhodũq;.
Ipse & adorantes ignotum numen Athenas,
Atque Ephesum tu tendis iter, & Thessala tecta:

Iussa

Iussa docens populos summi patris ore diserto.
Est tua per varios casus exercita virtus:
Et tandem in Latium ductus; quo saeua tenebat
Sceptra Nero, gladio occumbis sub Caesare eodem;
Vno, eodemque die, nec non illa vrbe, pependit
In cruce qua Petrus: cui soli Christus alendas
Ipse suas mandarat oues; dum spargitis ambo
Romulidum populo diuini semina verbi.
Tuq; roga Patrem aeternum; concedat vt olim
Iam cursu vitae exacto, ad sublimia caeli
Atria detur iter nobis, sedesq; beatas.

IN S. LAVRENTIVM MARTYREM.

Cuius templum ad Ollium flumen Ioan. Francisco Gambarae Cardinali commissum est.

ARGVMENTVM.

Celebrat Laurentij pro Christo super crates ferreas necem: eiusque in distribuendis Xysti thesauris in pauperes, pietatem.

DIVE *magis lauri Laurenti digne corona;*
Quàm qui duxerunt reges, populosq; reuinctis
Post tergum manibus, clarosq; habuere triumphos.
Admiransq; aliquis si fors mea dicta negabit;
Conferet aeternis idem mortalia rebus:
Nanq; alia expectas ab eo, qui sustinet axes

Aethereos; summo quæ sunt tibi condita cælo;
Dum crepitans infusa tuos iam flamma per artus
Exurit positum supra (mirabile) corpus
Ardentes crates, transuersaque robora ferri,
Atque alias tu morte tua cælestibus oris
Victor agis pompas, alia insuper ipse trophæa.
Flectere te haud Decius potuit precibusue, minisue,
Imperij qui tunc Romani scepra tenebat.
Quin & opes Xysti; fuerat cui credita sacri
Cura gregis, Christique vices de more subibat
In terris, Christi dederis pro nomine egenis,
Prodigus & vitæ, & temnens fera iussa tyranni.
Hierusalem veluti quondam facta inclyta morte
Est Stephani; longe sic & nece maxima Roma
Laurenti exaltata tua est; quid turbidus in te
Dum sæuit Decius duplicatis in tua pœnis
Membra, auxit palmam tibi: nanque ardentior ignis
Vrebat tua corda intus; quam qui foris artus.
Et quo tu fueras accensus lumine; eodem
Sancte puer latè illustrasti littus vtrunque:
Atque ijsdem flammis, quas es perpessus acerbas,
Inflammasti animos hominum vestigia Christi
Sectantum; vt mortem temnant, durosque labores.
Ipse breues forti subiisti pectore flammas;
Vitares ut perpetuas ardentis auerni.
Dum tua Laurenti celebramus sacra quotannis,
Franciscus commissa sibi quæ Gambara seruat
Non procul à viridi ripa, qua labitur vndis
Ollius; & quæ structa tuo sunt nomine templa;
Ipse refer laudes Patris omnipotentis ad aures,
Quas canimus; licet indignæ sint nomine tanto.
Effice, vt illum ipsum noctesque diesque sequamur;

Vt

Vt solet vmbra hominem, quacunque incedit, & illi
Grata simul quæ nunc facimus, sint vota, precesque.
Et tu Christe tuum populum ne linque, tenet qui
A te demissum nomen, qui mœstus ad aras
Te vocat auxilio, dum templo sueta ministrant
Sacra sacerdotes; animoque, & mente precatur.
Vt se se à diro defendas hoste; tenet qui
Arma manu, & nostros fines inuadit; & atros
In nos, exitiumque tui fert nominis ignes:
Quod minitans delere parat, nisi tu pater illum
Auertas virtute tua, & cælestibus armis:
Optatæ & nobis reddas læta otia pacis.

AD VINCENTIVM STELLAM Brixianum Iurisconsultum.

De Faustino, & Iouita Martyribus.

ARGVMENTVM.

Faustinus, & Iouita Brixiani multa prius pro Christo sub Traiano tormenta passi; tandem sub Adriano capite plexi, martyrij palmam adepti sunt.

VIncenti, qui postbabitis iam legibus omnem
Applicuisti animum studijs, quæ sidera ad alta
Perducunt homines; vbi pax, vbi lumine puro
Regna beatorum fulgent; datur atque tueri
Ora Patris, Patris æterni, qui condidit olim
Omnia, & è nihilo formans, miro ordine fecit.
Dum tu difficiles nodos exoluere quæris

Scriptura solers sacræ, lege quæ tibi nuper
Non studiis aliena tuis, doctissime, misi
Stella, licet tu sis dignus grauiore cothurno.
Qua te laude feram, genitrix mea Brixia, *cæli*
Astra super, quæ tu celebri præclara duorum
Corpora clausa tenes tumulo? tu namque Iouitam,
Tu Faustinum *eadem tenues in luminis auras*
Fudisti; quorum exemplo subiere beatam
Tunc mortem largo persusæ sanguine gentes
Ob Christi *nomen; quas tellus* Itala *alebat.*
An referam quas sub Traiano *rege per vrbes*
Ausoniæ pœnas, & tetro carcere passi?
Vos etiam iniecti flammis; sed flamma recessit
Hinc, atque hinc faciem in montis; nec corpora vestra
Læsit edax ignis: nam vos seruauit ouantes
Incolumesque Pater, *cæli, rerumque creator.*
Obiectique feris trucibus; sed non sine vinclis,
Non sine verberibus multis; subitoque feroces
Ipsæ animos posuere feræ, atque immitia corda;
Vestra nec inflicto presserunt corpora morsu.
Mox Mediolanum *ducti, vinctique catenis,*
Carcere & inclusi tenebroso horrenda tulistis
Supplicia, obscœnamque famem sub iudice sæuo.
Nec vos pœna, licet grauis esset, terruit vnquam:
Nec violata fides quondam promissa parenti
Aeterno fuit; at creuit. tum denique ducti
Parthenopem, *vincti manibus post terga, pedesque*
Compedibus. Vos in vastos, rapidosque profundi
Proiecere maris fluctus: sed conditor alti
Aetheris auxilio fuit, emisitque repente
E cælo alatos iuuenes, qui corpora vestra
Mersa mari eriperent tumido, & fluitantibus vndis:

Nec

Nec mora iussa citi faciunt, atque aera tranant
Remigio alarum Patris *almi numine freti;*
Dehinc freta salsa petunt, & vos è gurgite vasto
Eripiunt, manibusque suis ad littora curua
Incolumes vos educunt, mirabile visu.
Sed cum turba virum, quæ circunfusa tenebat
Littora, prospexit stantes in littore viuos,
Et nouitate rei attonita, admirataque factum
Insolitum, vos & Patris *præcepta docentes,*
Nec non cælestis vitalia semina verbi,
Vt prius, hæc dixere palàm. Vos *numina falsa*
Atque Iouem *vanum colitis: manifestaque signa*
Vidistis miseræ ò gentes. Tu *tu* Deus *alta*
Sede sedes cæli in medio; te conditor orbis
Maxime adoramus Dominum, *Regemque potentem,*
Atque viam, lucemque hominum, vitamque fatemur:
Et pro te cupimus tormenta subire, necemque.
Quæ postquam trepidans turbato pectore vidit
Parthenopes *rector, timuitque, & iussit vtrunque*
Carcere concludi obscuro: dein luce sequenti
Illos in patrias sedes, vrbemque reduci:
Hadriano *qui sub mortem subiere cruentam;*
Sanguineque effuso terram tinxere parentem.
Tu verò Faustine *sacer, tuque alme* Iouita
Transcripti cælo ciues, numeroque colentum
Atria celsa poli; vos nunc de sede superna
Aspicitis, qui nunc meritis vos laudibus alta
Tollimus astra super: vos magni Patris *ad aures*
Ferte preces nostras, vt tanto in turbine rerum,
Et pestis, vestros eiues defendat, & vrbem
Egregiam, quæ vos genuit, pariterque sacrauit
Vestra ob facta Deo Patri *venerabile templum*

Aeterno ob meritas laudes, posuitq; ministros
Custodes templi ingentis, rerumq; sacrarum.

IN S. ALBANVM MARTYREM.

Ad Antonium Perenottum Grauelanum Card.

ARGVMENTVM.

Deus Albani ad martyrium euntis rogatu flumen exiccauit: quo miraculo satelles eum occisurus martyrij comes factus est eiusq; percussoris oculi ilico in terram cecidere.

A*Ntoni, dum tu populis das iura; bibunt qui*
Sebethi liquidos latices: regisque Philippi
Sceptra, vicesq; subis: hoc nostro carmine factum
Mirificum, rarumq; leges; quod contigit olim
In terris, quas durus habet, fortisque Britannus.
Hesperios regeret cum Maximianus *iniquo*
Imperio populos longè, lateq; per oras
Occiduas, cædes facta est crudelior, atque
Maior in insontes, verum qui numen adorant;
Quàm quæ sub rigido cædes commissa Nerone *est:*
Namq; hæc pestis atrox sæuit bisquinq; per annos.
Huius erit belli diuisa Britannia *nostris*
Littoribus testis locuples: quæ diruta fundo
Templa, piasq; domos mæsta illo tempore vidit.
Albanus Verolamios non vltimus inter
Illa tempestate fuit: fundisq; paternis,

Sengui-

Sanguine & insignis, qui tecto accepit auito
Forte Sacerdotem nostra de gente, timentem
Principis insidias saui; mandataq; contra
Edita adorantes Christum; non falsa deorum
Numina; quæ vano gentes de more colebant.
Obscuro in thalamo hic noctesque, diesq; manebat,
Orabatque Deum parcus potusque, cibique.
Cum verò Albanus ipsum vidisset in ortu
Luciferi orantem tecti in penetralibus alti:
Illum adijt subito admirans, supplexq; rogauit,
Vellet vt optanti sibi pandere relligionem,
Quam tenet. ille inquit; Non hæc sine numine Patris
Aeterni Albane eueniunt: nam Christus in oras
Te vocat æthereas; ciuemque ascribit Olympo.
Tunc ipsum erudijt diuini semina verbi;
Monstrauitq; viam, cæli quæ ducit ad arces,
Dicens: sperne deos, tanquam fera monstra profundi,
Quos colis, & frustra summo veneraris honore.
Interea latitare virum peruenit ad aures
Iudicis Albani in tectis. mora nulla satelles
Armatus dexra primo quatit ostia somno.
Albanus pœnas, mortemq; subire cruentam
Pro Christo exoptans, vili se vestit amictu;
Indutus quo pauper erat, postesque reclusit:
Deinde satellitibus se se obuius obtulit vltro.
Tunc illum ducunt alta ad prætoria: qui mox
Carcere conclusus piceo, densisq; tenebris
Innumera est illic tormenta, & verbera passus;
Non metuens liquidum plumbum, clauosq; trabales,
Ex ære aut, cuneos, haud saui iudicis iram,
Atq; minas; illum nam nouerat hospitis ergò
Tot tormenta pati; quem tecto admiserat; atq;

Indi-

Indignans illum rapidi torrentis ad amnem
Deduci iussit subiturum funus acerbum.
Dũque locum peteret; quo mortem Albanus obiret:
Confertum aspiciens pontem (nam plurima turba,
Cerneret ut mortem ipsius conuenerat illuc)
Non transire ualens illum: namq; hic locus vltrà
Flumen erat; sontes pœnas quo ferre solebant:
Quod multos secum lapides, siluasq; trahebat.
Confestim Albanus tumida haud perterritus vnda,
Sed palmæ cupidus gressum compressit ad amnem
Ad cœlum tollens oculos, supplexq; rogauit
Aeternum patrem; vt vellet deducere flumen;
Quò siccis possent pedibus transire fluenta
Turgida iam. mora nulla viri videre carentem
Et strepitu, & cursu fluuium, et crepitantibus vndis.
Post vbi deuenere locum; tunc ense satelles
Actutum posito, Albanum dare qui modò leto
Iussus erat; nouitate rei stupefactus, humi se
Proiecit; sociumq; illi se se addidit vltro;
Atq; fatebatur Christum solum esse colendum;
Non Martem, Bacchũ, atq; Iouem, quos ante colebat.
Atq; alius curuo caput abstulit ense satelles
Albano, quem non perfundi tunc Deus illum
Vlla lætitia permisit: sed caderet cum
Abscissum caput Albani; tunc illius vnà
In terram cecidere oculi, gladiumq; relinquens
Corruit in terram actutum: sacroque cruore
Immersus frustra ille Iouem clamore vocabat;
Non verum mundi Dominum, rerumq; parentem;
Lapsa illi poterat qui reddere lumina solus.
Inq; fide miles iam factus firmior, ardet
Ingenti desiderio se subdere morti;

Quam

Quam subijt: nuper gladio qui inferre negarat
Albano insonti mortem; cœlumq; petiuit.

IN S. HIERONYMVM.

Ad Antonium Aelium Patriarcham Hierosolymitanum.

ARGVMENTVM.

Celebrat Hieronymi vitam sanctissime actã, eiusq; scripta: Deinde precatur Christum, vt Turcarum classem perdat.

ANTE *alias vrbs ò Stridon accepta parenti*
Aeterno, quæ sunt positæ per pinguia culta
Dalmatiæ: nanq; ille tuus fuit incola, cuiusque,
Eloquij fons conspicuus, & nomine sacro,
Defensor ueri, atque pij, rerumque minister
Sedulus; & longè per quem diuina relucent
Scripta, velut cœlum, pulsa quod nube serenat
Riphæis veniens Aquilo violentus ab oris:
Nanq; aperis solers diuina volumina, multis
Haud rectè intellecta locis: & falsa refellis:
Tu Syriæ longo coluisti tempore siluas,
Bethlemiasq; domos Christi ad præsepe; sacrisq;
Intentus semper studijs, sine labe beatam
Duxisti vitam in terris; semotus ab omni
Cura animum; & vitæ cursu defunctus, Olympo
Nunc frueris, spectasq; Deum; qui præmia reddit
Digna tuis meritis; miro quem semper amore,

Atq; humili coluisti animo: & nunc cernis ab alto
Hostem Threicium duro tua tecta tenentem
Imperio; atq; Italas iam nunc transmittere ad oras
Mille equitum cuneos, peditumq;, ratesq; parantem.
Huic te Christe tua primo in certamine dextra
Occurrens immitte fugam; voret vnda triremes
Ismarias; milesque ferus nostro cadat ense.
Tuq; precare tuum ciuem Aeli regna tenentem
Nunc supera; exoret Patrem, nostri vt miserescat
Inter tot rerum discrimina, totq; labores.

IN S. ANTONIVM ABBATEM.

Ad Antonium Perenottum Granuelanum Card.

ARGVMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam, diabolique molestias describit. Exin Perenotti Cardin. nomine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANtoni pater horrentis quondam incola eremi:
Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
Et consanguineis petijsti saua ferarum
Antra puer, vili, atq; aspro contentus amictu:
Agresti, tenuiq; cibo: cui pocula lymphæ
Fontis erant; nigroq; sopor mage gratus in antro,
Quam Tyrio recubare toro; gemmisq; corusco:
Tuq; etiam innumeras veluti fax ignea gentes;
Quæ Christum haud norant, duxisti ad certa salutis

Gaudia, & è tenebris ad vera lumina vitæ.
Sicut deduxit sublustri in nocte columna
Ignis ad oppositum pelagi, tutosq; receptus
Hebræum populum Aegypti de finibus olim.
Dum uero incoleres loca senta, et inhospita eremi;
Vicisti fraudes, fucataq; verba malorum
Spirituum: exemploq; tuo coluere relictis
Fascibus, & fundis homines Aegyptia tesqua.
Lucifer ille malus, fastuq; elatus inani,
Vt forma insignem vidit se, dixit. In altum
Conscendam cælum; & ponam super ardua summi
Astra Patris soliumq; meum, nomenque, nec illo
Inferior ero; nec factis, nec viribus impar.
Tartara sed postquam Deus illum trusit ad ima;
Et sese tanto spoliatum vidit honore:
Inuidia, atque odio corda est humana, dolisque,
Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
Confisum æterni flexit terrore, minisue.
In taurum ille licet sese, horribilemq; draconem,
Aspidis inque trucis formas, vrsique, leonisq;
Verteret; atque ignes effunderet ore, nigrumq;
Naribus è fumum, crines & serperet inter
Flamma furens; Strepueretq; horrendis vocibus antrũ.
Nec non ornatæ gemmis, auroque puellæ
Per noctem sæpe in faciem sese induit: & te
Dulcibus illecebris tentauit fallere frustra.
Nunc sacram ipse oleis orno bicoloribus aram:
Liminaq; intendo templi, postesque superbis
Exquilijs positos lauru, myrtoq; virenti;
Narcisso pro purpureo, calthaque, rosaque:
Accensasq; faces teneo de more uetusto
Ante aram supplex ego, qui te nomine reddo

A ter-

A teneris; & te venerer pater optime, & oro:
Digneris Patrem æternum, natumque precari;
Vt me respiciat; sinat & me ducere vitam.
Hanc fragilem sine labe aliqua, et sine crimine; qualẽ
Duxisti quondam in Phariis nouus incola siluis.

IN S. BENEDICTVM

Ad Seraphinum Fontanam Mediolanensem Prælatum monachis D. Mariæ Farfensis.

ARGVMENTVM.

Benedictus Nursiæ ortus, in Sublaci deserto durissimam uitam duxit. Deinde Casinũ montem cum monachis incoluit, ubi multa miracula edidit, multa prædixit. Celebrat deinde auctor Religionem illam, vt à tanto patre institutam, multisque & martyribus, & summis Pontificibus, & Regibus illustratam.

LVcifer vt cælo effulget, cùm surgit, & almam
Nuntiat aduentare diem mortalibus ægris;
Sic laude effulget merita Benedictus in oris;
Exoritur quà Sol, & quà nos linquit; & ingens
Vndiq; consurgit nox cincta nigrantibus vmbris.
Nursia quo genitrix tanto lætatur alumno;
Et se syderibus cæli sublimibus insert.
Sublaci hic petijt rupem puerilibus annis;

Tunc

Tunc diris loca plena feris, nunc aurea sedes.
Atq; ibi caprarum succinctus corpora solis
Pellibus, abruptis multos in cotibus annos
Exegit; vitamq; cauo tolerauit in antro
Assiduè voluens animo præcepta parentis
Aeterni, & seruans tenui ieiunia victu
Dura; ministrabat primo quem mane sacerdos
Ad procurua habitans Anienis flumina, vitæ
Integer, atque illis probitate insignis in oris.
Edidit ipse pater miracula plurima. mox et
Aerium magno montem comitante Casinum
Deuenit comitum cœtu sub tempora Veris.
Templum erat hic donis ingens, Phœboq; dicatum,
Quod gentes Italæ posuere in vertice montis.
Delphica non aliter coluere oracula Graij,
Quàm templũ indigenæ hoc gentes, populiq; propinqui.
At postquam hãc ædem intrauit Benedictus, et arã
Muneribus, multoq; auro prospexit onustam;
Atque sacerdotes templi, rerumq; ministros:
Ingemuit lachrymans; & ficti numinis aram
Cœlatam, & Phœbi effigiem de marmore fregit:
Quæ collapsa solo passim confracta iacebat:
Sacratumq; illi lucum conuoluit in ignes.
Sustulit & vanos ritus; Regique dicauit,
Sublimes cæli nutu qui temperat oras.
Nec quisquam est ausus tantis se opponere cœptis
Illorum, qui seruabant templumq; locumque:
Sed subita attoniti formidine, remque, domosque
Liquere; & cursu terras tenuere propinquas.
Hanc sedem pater incoluit Benedictus; ibiq;
Cum socijs vixit, quos secum duxerat, & quos
Ipse sua insigni pietate attraxerat olim,

Ipsius

Ipsius vnanimes vestigia sancta secutos.
Non solùm hic fecit miracula multa, virosq;
E tenebris nitidæ reuocauit lucis ad auras:
Corporibusq; hominum sæpe expulit horrida monstra,
Monstra polo summi iussu deiecta parentis:
Depulit & tristes languenti è corpore morbos.
Sed varios rerum euentus, perituraq; templa
Prædixit: multa & Totilæ, qui barbara castra
E Scythia in Latias audax traduxerat oras
Bellator. tandem vita sine labe peracta,
Prædixit sibi iam lucem aduentare supremam,
Corporeis se se qua posset soluere vinclis;
Et petere optatas sedes fulgentis Olympi.
O tua quàm felix est tali nata parente
Relligio Seraphine, patrum & uirtute tuorum
Aucta diu; fuso quondam qui sanguine palmam
Aeternam meruere suo, sedesque supernas.
Multi etiam Christique vicem subiere, locumque,
Deposito reges sceptro, & qui rexerat orbem
Terrarum imperio, spreta ditione, suisq;
Posthabitis vitam sub tanto egere magistro;
Ausoniæ fasces, & opes, & regna perosi.

IN S. MARIAM MAGDALENAM.

Ad Christophorum Robusterum Tarraconensem Auditorem Rotæ.

ARGVMENTVM.

Maria Magdalena, dũ ad tumulũ Christi fleret; ipsum videns non agnouit. Narrãtur quę ipsa Christo, quęque Christus ipsi dixerit.

PRO

PRO meritis in se tantis tibi Gambara semper
Debebit; donec veniat meta vltima vitæ;
Et reget hos artus cæli spirabilis aura.
Tanti erit ille igitur meriti non immemor unquam
Christophore. ad tumulũ nunc tristem, et multa gemẽ-
Magdalenam audi, dum flet pia funera Christi: (tẽ
Quam thalamo pictam mœsta sub imagine seruas.
Ad Christi tumulum dum Magdalena sederet
Illachrymans; læuumque genu complexa teneret
Suspensum iunctis manibus, per colla, humerosq;
Sparsa comam; geminos candenti in veste sepulchrũ
Seruantes vidit iuuenes, vbi corpus Iesu
Depositum nuper fuerat: astabat & vnus
Supremam ad partem tumuli; partem alter ad imã:
Qui dicunt. Oculis mulier cur fundis amaros
Cum longo fletus gemitu? tunc illa: meum quòd
Abstulerint Dominum è tumulo: sumq; inscia vbi nã
Sit positus. dixit, conuersaq; vidit Iesum
Non procul astantem; rigui quem credidit horti
Custodem: non illum ipsum, quem mœsta per omne
Quærebat montis spatium sub lumina Solis.
Magdalena etenim cunctis abeuntibus, ipsa
Non discedebat tumulo: vacuumq; vbi vidit,
Discerpsit manibus flauos nullo ordine crines;
Atq; locum gemitu impleuit; mentemq; dolore
Deuicta, & mœrore graui, dum credit ademptum
Mœsta Redemptorem mundi: tunc Christus ad illam
Se vertens tali compellat voce dolentem. (ris?
Quid lachrymis misces gemitus? quidue anxia quæ-
Illa, meum, dixit, Dominum si forte tulisti;
Pande vbi sit, quæso, sacratum corpus: vt illud
Sustollam, & tumulo condam, & pia funera ducam.

Tunc ipſam aſpiciens Chriſtus, Maria, inquit: at illa
Conuerſa, atq; ipſum agnoſcens, & læta pedes ſe
Ad Domini ſacros ſubito proiecit. At ille
Non licet, ò mulier, tibi me nunc tangere: nondũ
Conſcendi æthereas ſedes, & lucida cæli
Regna: neque acceſſi ad patrem, cui paret Olympi
Regia ſtellantis, tractus terræque, mariſque.
Fratribus ipſa meis refer hæc; quos feruida cura
Sollicitat, triſteſq; tenet ob funera noſtra.
Tu rerum ſolare inopes; & pectora ſolue
Plena metu, amiſſóq; illos ſolare magiſtro:
Dic etiam: Aſcendo ad Patrem veſtrumque, meumq;,
Atq; Deum veſtrum, atque meum. nec plura locutus
Diſceſſit. tunc illa alacris peruenit ad ædes;
Ob Iudæorum inſidias quibus ipſa latebat
Gens vero dilecta Deo: & plorantibus infit.
Aſpexi Dominum his oculis; atque hæc mihi dixit:
Nec ſolita illius facies, aut forma feſellit
Concaua me multum lachrymantẽ ad ſaxa ſepulchri.

IN S. CATERINAM MARTYREM.

Ad Gulielmum Sirletum Card.

ARGVMENTVM.

Celebrat Caterinæ in repudiando regno, magnanimitatem: in ſuperandis Philoſophis, ſapientiam: in contemnendis cruciatibus, & morte, fortitudinem, atq; conſtantiam.

TV

TV nostro Sirlete etiam memorabere versu,
Eloquio non inferior, nec carmine priscis
Vatibus, aut illis pede qui scripsere soluto
Diuersos hominum mores, aut inclyta facta;
Et nulli candore animi, aut pietate secundus.
Accipe quæ cecini Caterinæ in virginis almæ
Et vitam, & mortem pariter; dum scripta sacrorum
Tot vatum, & Solymos libros, monimentaq; Graium,
Et nostra euoluis studio, vigilique labore;
Huius enim nostri es censor, iudexq; libelli.
O virgo, dum te canimus, gratissima patri
Cælicolum, Regique; preces, quas fundimus audi;
Amborumque simul refer omnipotentis ad aures.
Tuque tuum ob nomen rege nos Pater alme, tuoq;
Nos tege nunc clypeo; tibi qui confidimus; in te
Qui spem nostram omnẽ, mentemq; locamus, et vnum
Te colimus; dum Sol collustrat lampade terras;
Et dum nox fuscis tellurem amplectitur vmbris.
Qua digna te voce canam longè inclyta virgo,
Doctaq; ? quæ ue tuas poterit memorare, licet sit
Ferrea vox; meritas laudes? tu filia regis,
Fertilis Aegypti imperio qui sceptra tenebat.
An dicam te pauca super? quamque alta tuarum
Me rerum moles premat, & perterreat; & sim
Non dubius partem exiguam vix dicere posse.
An dicam, vt genitor tenera te ætate docendam
Ingenuas artes, nec non exordia rerum
Curauit? pater impleuit sed post vbi vitæ
Curriculum breue; tu regni tibi debita sceptra
Spreuisti, veluti stipulam Caterina, deosq;
Inscia quos olim veri gens illa colebat;
Et tot opes, magnasque vrbes, tedasque tyranni.
Atque

Atque tui robur animi videre ministri
Inuictum; te dum pœnis non cedere acerbis
Conspiciunt. tu non lauri de fronde coronam
Expectas; verum duplicem post funera palmam.
Sanguinis effusi fuit altera, & altera casti
Corporis, ac vitæ. tu pectore dedita toto
Cælicolum regi quondam perpessa famemque,
Vinclaque, crudelesque rotas, non territa pœnis
Innumeris; docto superas sermone disertos,
Insignesque viros vario in certamine; qui tunc
Vana tuo eloquio liquerunt numina; tecumque
Occubuere suo persusi sanguine membra.
An referam cum te inuisit regina silentem
Sub noctem, comitata vno, caua saxa iacentem
Inter, & horrentes te vidit carceris vmbras?
Teque ipsam miserata, tibi suaderet, vt atro
Carcere te eriperes faciens dijs sacra profanis.
Sed commota tuis coniux est regia verbis;
Voce Deum & clara verum est confessa; maritum
Nec regem verita est, nec vincula saua, necemque:
Et Ioue adorauit spreto lætissima Christum.
An dicam caput abscissum, spectante tyranno,
Lictoris gladio? quo vulnere non cruor ater
Effluxit, niuei sed lactis copia, & ipsa
Tincta colore nouo est (visu mirabile) tellus.
Aligeri ast animam iuuenes super æthera cæli
Virginis attulerunt subitò, Patrisq; locarunt
Sedibus æterni: ast alij venerabile corpus
Exanimum Syriæ frondoso in vertice montis
Portarunt; alacresque nouo imposuere sepulchro.

IN S. MARGARITAM MARTYREM.

Ad Ioannem Zamoſcium Procancellarium regni Poloniæ.

ARGVMENTVM.

Margarita tenella adhuc ætate Chriſti fidem ſuſcepit. Mox adoleſcens ab Olibrio Præſide deæ Syriæ ſacrificare iuſſa; nec minis territa, nec promiſſo coniugio allecta, ei obſecuta eſt. tādē poſt multos cruciatus, abſciſſo capite martyrij coronā conſecuta eſt.

Zamoſci facunde; tuæ non vltima gentis
Gloria; nec probitate minor, rebuſq; gerendis,
Et proauis, atauiſque tuis: quorum inclyta virtus
Viuit adhuc quondam bello præclara, togaque.
Egregijs nanque eſt ſcriptis vulgata per oras
Auroræ tua fama tuis iam, quaq; cadit Sol.
Dum tu Romanum magna cum laude Senatum
Deſcribis (ſi forte vacat) lege carmina, quæ nunc
Concinui in vitam, atque in funera Margaritæ.
Floruerat Syriæ proceres Theodoſius inter
Diues opum, proauiſq; potens: ſed tecta colebat
Ruſtica; & agreſtum ſiluis inglorius altis
Degebat placide cara cum coniuge vitam,
In mare qua rapidos latices deuoluit Orontes;
Cum genita eſt forma pulcherrima Margarite:
Quam pater admirans nutrici lætus alendam

Scriptura solers sacræ, lege quæ tibi nuper
Non studiis aliena tuis, doctissime, misi
Stella, licet tu sis dignus grauiore cothurno.
Qua te laude feram, genitrix mea Brixia, *cæli*
Astra super, quæ tu celebri præclara duorum
Corpora clausa tenes tumulo? tu namque Iouitam,
Tu Faustinum *eadem tenues in luminis auras*
Fudisti; quorum exemplo subiere beatam
Tunc mortem largo perfusæ sanguine gentes
Ob Christi *nomen; quas tellus* Itala *alebat.*
An referam quas sub Traiano *rege per vrbes*
Ausoniæ pœnas, & tetro carcere passi?
Vos etiam iniecti flammis; sed flamma recessit
Hinc, atque hinc faciem in montis; nec corpora vestra
Læsit edax ignis: nam vos seruauit ouantes
Incolumesque Pater, *cæli, rerumque creator.*
Obiectique feris trucibus; sed non sine vinclis,
Non sine verberibus multis; subitoque feroces
Ipsæ animos posuere feræ, atque immitia corda;
Vestra nec inflicto presserunt corpora morsu.
Mox Mediolanum *ducti, vinctique catenis,*
Carcere & inclusi tenebroso horrenda tulistis
Supplicia, obscœnamque famem sub iudice sæuo.
Nec vos pœna, licet grauis esset, terruit vnquam:
Nec violata fides quondam promissa parenti
Aeterno fuit; at creuit. tum denique ducti
Parthenopem, *vincti manibus post terga, pedesque*
Compedibus. Vos in vastos, rapidosque profundi
Proiecere maris fluctus: sed conditor alti
Aetheris auxilio fuit, emisitque repente
E cælo alatos iuuenes, qui corpora vestra
Mersa mari eriperent tumido, & fluitantibus vndis;

Nec

Nec mora iussa citi faciunt, atque aera tranant
Remigio alarum Patris almi numine freti;
Dehinc freta salsa petunt, & vos è gurgite vasto
Eripiunt, manibusque suis ad littora curua
Incolumes vos educunt, mirabile visu.
Sed cum turba virum, quæ circunfusa tenebat
Littora, prospexit stantes in littore viuos,
Et nouitate rei attonita, admirataque factum
Insolitum, vos & Patris præcepta docentes,
Nec non cælestis vitalia semina verbi,
Vt prius, hæc dixere palàm. Vos numina falsa
Atque Iouem vanum colitis: manifestaque signa
Vidistis miseræ ò gentes. Tu tu Deus alta
Sede sedes cæli in medio; te conditor orbis
Maxime adoramus Dominum, Regemque *potentem,*
Atque viam, lucemque hominum, vitamque fatemur:
Et pro te cupimus tormenta subire, necemque.
Quæ postquam trepidans turbato pectore vidit
Parthenopes rector, timuitque, & iussit vtrunque
Carcere concludi obscuro: dein luce sequenti
Illos in patrias sedes, vrbemque reduci:
Hadriano qui sub mortem subiere cruentam;
Sanguineque effuso terram tinxere parentem.
Tu verò Faustine *sacer, tuque alme* Ionita
Transcripti cælo ciues, numeroque colentum
Atria celsa poli; vos nunc de sede superna
Aspicitis, qui nunc meritis vos laudibus alta
Tollimus astra super: vos magni Patris *ad aures*
Ferte preces nostras, vt tanto in turbine rerum,
Et pestis, vestros ciues defendat, & vrbem
Egregiam, quæ vos genuit, pariterque sacrauit
Vestra ob facta Deo Patri *venerabile templum*

Aeterno ob meritas laudes, posuitq; ministros
Custodes templi ingenuis, rerumq; sacrarum.

IN S. ALBANVM MARTYREM.

Ad Antonium Perenottum Grauelanum Card.

ARGVMENTVM.

Deus Albani ad martyrium euntis rogatu flumen exiccauit: quo miraculo satelles eum occisurus martyrij comes factus est: eiusq; percussoris oculi ilico in terram cecidere.

Antoni, dum tu populis das iura; bibunt qui
Sebethi liquidos latices: regisque Philippi
Sceptra, vicesq; subis: hoc nostro carmine factum
Mirificum, rarumq; leges; quod contigit olim
In terris, quas durus habet, fortisque Britannus.
Hesperios regeret cum Maximianus iniquo
Imperio populos longè, lateq; per oras
Occiduas, cædes facta est crudelior, atque
Maior in insontes, verum qui numen adorant;
Quàm quæ sub rigido cædes commissa Nerone est:
Namq; hæc pestis atrox sæuit bisquinq; per annos.
Huius erit belli diuisa Britannia nostris
Littoribus testis locuples: quæ diruta fundo
Templa, piasq; domos mæsta illo tempore vidit.
Albanus Verolamios non vltimus inter
Illa tempestate fuit: fundisq; paternis,

Sanguine & insignis, qui tecto accepit auito
Forte Sacerdotem nostra de gente, timentem
Principis insidias saui; mandataq; contra
Edita adorantes Christum; non falsa deorum
Numina; quæ vano gentes de more colebant.
Obscuro in thalamo hic noctesque, diesq; manebat,
Orabatque Deum parcus potusque, cibique.
Cum verò Albanus ipsum vidisset in ortu
Luciferi orantem tecti in penetralibus alti:
Illum adijt subito admirans, supplexq; rogauit,
Vellet vt optanti sibi pandere relligionem,
Quam tenet. ille inquit; Non hæc sine numine Patris
Aeterni Albane eueniunt: nam Christus in oras
Te vocat æthereas; ciuemque ascribit Olympo.
Tunc ipsum erudijt diuini semina verbi;
Monstrauitq; viam, cæli quæ ducit ad arces,
Dicens: sperne deos, tanquam fera monstra profundi,
Quos colis, & frustra summo veneraris honore.
Interea latitare virum peruenit ad aures
Iudicis Albani in tectis. morâ nulla satelles
Armatus dexra primo quatit ostia somno.
Albanus pœnas, mortemq; subire cruentam
Pro Christo exoptans, vili se vestit amictu;
Indutus quo pauper erat, postesque reclusit:
Deinde satellitibus se se obuius obtulit vltro.
Tunc illum ducunt alta ad prætoria: qui mox
Carcere conclusus piceo, densisq; tenebris
Innumera est illic tormenta, & verbera passus;
Non metuens liquidum plumbum, clauosq; trabales,
Ex ære aut cuneos, haud saui iudicis iram,
Atq; minas; illum nam nouerat hospitis ergò
Tot tormenta pati; quem tecto admiserat; atq;

Indi-

Indignans illum rapidi torrentis ad amnem
Deduci iussit subiturum funus acerbum.
Dũque locum peteret; quo mortem Albanus obiret:
Confertum aspiciens pontem (nam plurima turba,
Cerneret ut mortem ipsius conuenerat illuc)
Non transire ualens illum: namq; hic locus vltrà
Flumen erat; sontes pœnas quo ferre solebant:
Quod multos secum lapides, siluasq; trahebat.
Confestim Albanus tumida haud perterritus vnda,
Sed palmæ cupidus gressum compresit ad amnem
Ad cœlum tollens oculos, supplexq; rogauit
Aeternum patrem; vt vellet deducere flumen;
Quò siccis possent pedibus transire fluenta
Turgida iam. mora nulla viri videre carentem
Et strepitu, & cursu fluuium, et crepitantibus vndis.
Post vbi deuenere locum; tunc ense satelles
Actutum posito, Albanum dare qui modò leto
Iussus erat; nouitate rei stupefactus, humi se
Proiecit; sociumq; illi se se addidit vltro;
Atq; fatebatur Christum solum esse colendum;
Non Martem, Bacchũ, atq; Iouem, quos ante colebat.
Atq; alius curuo caput abstulit ense satelles
Albano, quem non perfundi tunc Deus illum
Vlla lætitia permisit: sed caderet cum
Abscissum caput Albani; tunc illius vnà
In terram cecidere oculi, gladiumq; relinquens
Corruit in terram actutum: sacroque cruore
Immersus frustra ille Iouem clamore vocabat;
Non verum mundi Dominum, rerumq; parentem;
Lapsa illi poterat qui reddere lumina solus.
Inq; fide miles iam factus firmior, ardet
Ingenti desiderio se subdere morti;

Quam

Quam subijt: nuper gladio qui inferre negarat
Albano insonti mortem; calumq; petiuit.

IN S. HIERONYMVM.

Ad Antonium Aelium Patriarcham Hierosolymitanum.

ARGVMENTVM.

Celebrat Hieronymi vitam sanctisſime actā, eiusq; scripta: Deinde precatur Christum, vt Turcarum classem perdat.

ANTE *alias vrbs ò Stridon accepta parenti*
Aeterno, quæ sunt posita per pinguia culta
Dalmatiæ: nanq; ille tuus fuit incola, ciuisque,
Eloquij fons conspicuus, & nomine sacro,
Defensor ueri, atque pij, rerumque minister
Sedulus; & longè per quem diuina relucent
Scripta, velut cælum, pulsa quod nube serenat
Riphæis veniens Aquilo violentus ab oris:
Nanq; aperis solers diuina volumina, multis
Haud rectè intellecta locis: & falsa refellis:
Tu Syriæ longo coluisti tempore siluas,
Bethlemiasq; domos Christi ad præsepe; sacrisq;
Intentus semper studijs, sine labe beatam
Duxisti vitam in terris; semotus ab omni
Cura animum; & vita cursu defunctus, Olympo
Nunc frueris, spectasq; Deum; qui præmia reddit
Digna tuis meritis; miro quem semper amore,

Atque

Atq; humili coluisti animo: & nunc cernis ab alto
Hostem Threicium duro tua tecta tenentem
Imperio; atq; Italas iam nunc transmittere ad oras
Mille equitum cuneos, peditumq;, ratesq; parantem.
Huic te Christe tua primo in certamine dextra
Occurrens immitte fugam; voret vnda triremes
Ismarias; milesque ferus nostro cadat ense.
Tuq; precare tuum ciuem Aeli regna tenentem
Nunc supera; exoret Patrem, nostri vt miserescat
Inter tot rerum discrimina, totq; labores.

IN S. ANTONIVM ABBATEM.

Ad Antonium Perenottum Granuelanum Card.

ARGVMENTVM.

Duram Antonij in desertis locis vitam, diaboliqué molestias describit. Exin Perenotti Cardin. nomine rogat eum, vt Deo pro se preces fundat.

ANtoni pater horrentis quondam incola eremi:
Delicijs qui contemptis, rebusq; paternis,
Et consanguineis petijsti sæua ferarum
Antra puer, vili, atq; aspro contentus amictu:
Agresti, tenuiq; cibo: cui pocula lymphæ
Fontis erant; nigroq; sopor mage gratus in antro,
Quam Tyrio recubare toro; gemmisq; corusco:
Tuq; etiam innumeras veluti fax ignea gentes;
Quæ Christum haud norant duxisti ad certa salutis

Gau

Gaudia, & è tenebris ad vera lumina vitæ.
Sicut deduxit sublustri in nocte columna
Ignis ad oppositum pelagi, tutosq; receptus
Hebræum populum Aegypti de finibus olim.
Dum uero incoleres loca senta, et inhospita eremi,
Vicisti fraudes, fucataq; verba malorum
Spirituum: exemploq; tuo coluere relictis
Fascibus, & fundis homines Aegyptia tesqua.
Lucifer ille malus, fastuq; elatus inani,
Vt forma insignem vidit se, dixit. In altum
Conscendam cælum; & ponam super ardua summi
Astra Patris soliumq; meum, nomenque, nec illo
Inferior ero; nec factis, nec viribus impar.
Tartara sed postquam Deus illum trusit ad ima;
Et sese tanto spoliatum vidit honore:
Inuidia, atque odio corda est humana, dolisque,
Ac fraude aggressus: sed non te numine Patris
Confisum æterni flexit terrore, minisue.
In taurum ille licet se se, horribilemq; draconem,
Aspidis inque trucis formas, vrsique, leonisq;
Verteret; atque ignes effunderet ore, nigrumq;
Naribus è fumum, crines & serperet inter
Flamma furens; streperetq; horrendis vocibus antrũ.
Nec non ornatæ gemmis, auroque puellæ
Per noctem sæpe in faciem se se induit: & te
Dulcibus illecebris tentauit fallere frustra.
Nunc sacram ipse oleis orno bicoloribus aram:
Liminaq; intendo templi, postesque superbis
Exquilijs positos lauru, myrtoq; virenti;
Narcisso pro purpureo, calthaque, rosaque:
Accensasq; faces teneo de more uetusto
Ante aram supplex ego, qui te nomine reddo

A ter-

A teneris; & te venerer pater optime, & oro:
Digneris Patrem æternum, natumque precari;
Vt me respiciat; sinat & me ducere vitam
Hanc fragilem sine labe aliqua, et sine crimine; qualē
Duxisti quondam in Pharijs nouus incola siluis.

IN S. BENEDICTVM

Ad Seraphinum Fontanam Mediolanensem Prælatum monachis D. Mariæ Farfensis.

ARGVMENTVM.

Benedictus Nursiæ ortus, in Sublaci deserto durissimam uitam duxit. Deinde Casinū montem cum monachis incoluit, ubi multa miracula edidit, multa prædixit. Celebrat deinde auctor Religionem illam, vt à tanto patre institutam, multisque & martyribus, & summis Pontificibus, & Regibus illustratam.

LVcifer vt cælo effulget, cùm surgit, & almam
Nuntiat aduentare diem mortalibus ægris;
Sic laude effulget merita Benedictus in oris;
Exoritur quà Sol, & quà nos linquit; & ingens
Vndiq; consurgit nox cincta nigrantibus vmbris.
Nursia quo genitrix tanto lætatur alumno;
Et se syderibus cæli sublimibus infert.
Sublaci hic petijt rupem puerilibus annis;

Tunc

Tunc diris loca plena feris, nunc aurea sedes.
Atq; ibi caprarum succinctus corpora solis
Pellibus, abruptis multos in cotibus annos
Exegit; vitamq; cauo tolerauit in antro
Assiduè voluens animo præcepta parentis
Aeterni, & seruans tenui ieiunia victu
Dura; ministrabat primo quem mane sacerdos
Ad procurua habitans Anienis flumina, vitæ
Integer, atque illis probitate insignis in oris.
Edidit ipse pater miracula plurima. mox et
Aerium magno montem comitante Casinum
Deuenit comitum cætu sub tempora Veris.
Templum erat hic donis ingens, Phœboq; dicatum,
Quod gentes Italæ posuere in vertice montis.
Delphica non aliter coluere oracula Graij,
Quàm templũ indigenæ hoc gentes, populiq; propinqui.
At postquam hãc ædem intrauit Benedictus, *et arã*
Muneribus, multoq; auro prospexit onustam,
Atque sacerdotes templi, rerumq; ministros:
Ingemuit lachrymans; & ficti numinis aram
Cœlatam, & Phœbi effigiem de marmore fregit:
Quæ collapsa solo passim confracta iacebat:
Sacratumq; illi lucum conuoluit in ignes.
Sustulit & vanos ritus; Regique dicauit,
Sublimes cæli nutu qui temperat oras.
Nec quisquam est ausus tantis se opponere cœptis
Illorum, qui seruabant templumq; locumque:
Sed subita attoniti formidine, remque, domosque
Liquere; & cursu terras tenuere propinquas.
Hanc sedem pater incoluit Benedictus; *ibiq;*
Cum socijs vixit, quos secum duxerat, & quos
Ipse sua insigni pietate attraxerat olim,

Ipsius

Ipsius vnanimes vestigia sancta secutos.
Non solùm hic fecit miracula multa, virosq;
E tenebris nitidæ reuocauit lucis ad auras:
Corporibusq; hominum sæpe expulit horrida monstra,
Monstra polo summi iussu deiecta parentis:
Depulit & tristes languenti è corpore morbos.
Sed varios rerum euentus, perituraq; templa
Prædixit: multa & Totilæ, qui barbara castra
E Scythia in Latias audax traduxerat oras
Bellator. tandem vita sine labe peracta,
Prædixit sibi iam lucem aduentare supremam,
Corporeis se se qua posset soluere vinclis;
Et petere optatas sedes fulgentis Olympi.
O tua quàm felix est tali nata parente
Relligio Seraphine, patrum & uirtute tuorum
Aucta diu; fuso quondam qui sanguine palmam
Aeternam meruere suo, sedesque supernas.
Multi etiam Christique vicem subiere, locumque.
Deposito reges sceptro, & qui rexerat orbem
Terrarum imperio, spreta ditione, suisq;
Posthabitis vitam sub tanto egere magistro;
Ausoniæ fasces, & opes, & regna perosi.

IN S. MARIAM MAGDALENAM.

Ad Christophorum Robusterum Tarraconensem Auditorem Rotæ.

ARGVMENTVM.

Maria Magdalena, dũ ad tumulũ Christi fleret; ipsum videns non agnouit. Narrãtur quę ipsa Christo, quęque Christus ipsi dixerit.

PRO

PRO meritis in se tantis tibi Gambara semper
Debebit; donec veniat meta vltima vitæ;
Et reget hos artus cæli spirabilis aura.
Tanti erit ille igitur meriti non immemor unquam
Christophore. ad tumulũ nunc tristem, et multa gemẽ-
Magdalenam audi, dum flet pia funera Christi: (tẽ
Quam thalamo pictam mœsta sub imagine seruas.
Ad Christi tumulum dum Magdalena sederet
Illachrymans; læuumque genu complexa teneret
Suspensum iunctis manibus, per colla, humerosq́;
Sparsa comam; geminos candenti in veste sepulchrũ
Seruantes vidit iuuenes, vbi corpus Iesu
Depositum nuper fuerat: astabat & vnus
Supremam ad partem tumuli; partem alter ad imã:
Qui dicunt. Oculis mulier cur fundis amaros
Cum longo fletus gemitu? tunc illa: meum quòd
Abstulerint Dominum è tumulo: sumq́; inscia vbi nã
Sit positus. dixit, conuersaq́; vidit Iesum
Non procul astantem; rigui quem credidit horti
Custodem: non illum ipsum, quem mœsta per omne
Quærebat montis spatium sub lumina Solis.
Magdalena etenim cunctis abeuntibus, ipsa
Non discedebat tumulo: vacuumq́; vbi vidit,
Discerpsit manibus flauos nullo ordine crines;
Atq́; locum gemitu impleuit; mentemq́; dolore
Deuicta, & mœrore graui, dum credit ademptum
Mœsta Redemptorem mundi: tunc Christus ad illam
Se vertens tali compellat voce dolentem. (ris?
Quid lachrymis misces gemitus? quidue anxia quæ-
Illa, meum, dixit, Dominum si forte tulisti;
Pande vbi sit, quæso, sacratum corpus: vt illud
Sustollam, & tumulo condam, & pia funera ducam.

Tunc ipsam aspiciens Christus, Maria, inquit: at illa
Conuersa, atq; ipsum agnoscens, & læta pedes se
Ad Domini sacros subito proiecit. At ille
Non licet, ò mulier, tibi me nunc tangere: nondũ
Conscendi æthereas sedes, & lucida cæli
Regna; neque accessi ad patrem, cui paret Olympi
Regia stellantis, tractus terræque, marisque.
Fratribus ipsa meis refer hæc; quos seruida cura
Sollicitat, tristesq; tenet ob funera nostra.
Tu rerum solare inopes; & pectora solue
Plena metu, amissoq; illos solare magistro:
Dic etiam: Ascendo ad Patrem vestrumque, meumq;,
Atq; Deum vestrum, atque meum. nec plura locutus
Discessit. tunc illa alacris peruenit ad ædes;
Ob Iudæorum insidias quibus ipsa latebat
Gens vero dilecta Deo: & plorantibus insit.
Aspexi Dominum his oculis; atque hæc mihi dixit:
Nec solita illius facies, aut forma fefellit
Concaua me multum lachrymantẽ ad saxa sepulchri.

IN S. CATERINAM MARTYREM.

Ad Gulielmum Sirletum Card.

ARGVMENTVM.

Celebrat Caterinæ in repudiando regno, magnanimitatem: in superandis Philosophis, sapientiam: in contemnendis cruciatibus, & morte, fortitudinem, atq; constantiam.

TV

TV nostro Sirlete etiam memorabere versu,
Eloquio non inferior, nec carmine priscis
Vatibus, aut illis pede qui scripsere soluto
Diuersos hominum mores, aut inclyta facta;
Et nulli candore animi, aut pietate secundus.
Accipe quæ cecini Caterinæ in virginis almæ
Et vitam, & mortem pariter; dum scripta sacrorum
Tot vatum, & Solymos libros, monimentaq; Graium,
Et nostra euoluis studio, vigilique labore;
Huius enim nostri es censor, iudexq; libelli.
O virgo, dum te canimus, gratissima patri
Cælicolum, Regique; preces, quas fundimus audi;
Amborumque simul refer omnipotentis ad aures.
Tuque tuum ob nomen rege nos Pater alme, tuoq;
Nos tege nunc clypeo; tibi qui confidimus; in te
Qui spem nostram omnē, mentemq; locamus, et vnum
Te colimus; dum Sol collustrat lampade terras;
Et dum nox fuscis tellurem amplectitur vmbris.
Qua digna te voce canam longè inclyta virgo,
Doctaq;? quæ ue tuas poterit memorare, licet sit
Ferrea vox; meritas laudes? tu filia regis,
Fertilis Aegypti imperio qui sceptra tenebat.
An dicam te pauca super? quamque alta tuarum
Me rerum moles premat, & perterreat; & sim
Non dubius partem exiguam vix dicere posse.
An dicam, vt genitor tenera te ætate docendam
Ingenuas artes, nec non exordia rerum
Curauit? pater impleuit sed post vbi vitæ
Curriculum breue; tu regni tibi debita sceptra
Spreuisti, veluti stipulam Caterina, deosq;
Inscia quos olim veri gens illa colebat;
Et tot opes, magnasque vrbes, tedasque tyranni.

IN S. MARGARITAM MARTYREM.

Ad Ioannem Zamoſcium Procancellarium regni Poloniæ.

ARGVMENTVM.

Margarita tenella adhuc ætate Chriſti fidem ſuſcepit. Mox adoleſcens ab Olibrio Prę̄ſide deæ Syriæ ſacrificare iuſſa; nec minis territa, nec promiſſo coniugio allecta, ei obſecuta eſt.tādē poſt multos cruciatus,abſciſſo capite martyrij coronā conſecuta eſt.

Zamoſci facunde; tuæ non vltima gentis
Gloria; nec probitate minor, rebusq́; gerendis,
Et proauis, atauiſque tuis: quorum inclyta virtus
Viuit adhuc quondam bello præclara, togaque.
Egregijs nanque eſt ſcriptis vulgata per oras
Auroræ tua fama tuis iam, quaq́; cadit Sol.
Dum tu Romanum magna cum laude Senatum
Deſcribis (ſi forte vacat) lege carmina, quæ nunc
Concinui in vitam, atque in funera Margaritæ.
Floruerat Syriæ proceres Theodoſius inter
Diues opum, proauisq́; potens: ſed tecta colebat
Ruſtica; & agreſtum ſiluis inglorius altis
Degebat placide cara cum coniuge vitam,
In mare qua rapidos latices deuoluit Orontes;
Cum genita eſt forma pulcherrima Margarite:
Quam pater admirans nutrici lætus alendam

Mandauit; donec plenis pubesceret annis:
Hanc nutrix pia clam Christi praecepta docebat;
Quam prius abluerat sacrato in fonte sacerdos.
Tunc genitor facti non inscius, aestuat ira,
Atque odijs natae infensus procul alta relegat
In iuga nutricem, dilectaque pignora quondam;
Qua mons per noctis tenebras de vertice summo
Casius ardenti prospectat lampade Solem
Nascentem, noctemque alia de parte prius, quam
Lucifer exoriens multa cum luce patentes
Oceani percurrat aquas, & littus Eoum.
At virgo, quamuis domibus foret acta paternis;
Tectaque nutricis coleret; puroque leuaret
Fonte sitim; victumque darent siluestria poma;
Vesteque se indueret vili: tamen illa deorum,
Et vani simulacra Iouis, ritusque nefandos
Sacrorum horrebat, Christumque immota colebat:
Et valle exiguum, spreto genitore, sub alta
Cum nutrice gregem pascebat: & Alcimedonta
Spernebat sub valle Palen, Dryadasque canentem.
Interea superis, sic indignatus, ab oris
Concessit genitor: virgo cum paruula nondum
Expleret denos habitans in vallibus annos:
Defossoque foret quamvis ditissimus auro;
Et mille innumeris inuerteret arua quotannis
Vomeribus; multique greges, & mille iuuenci
Tecta sub occasum Solis proauita subirent;
Haeredem tamen hanc non vlla in parte reliquit.
Dum verò regni certas inuiseret vrbes
Olibrius (erat imperij suprema potestas
Quem penes) ibat iter, qua flexo semita calle
Ducit in aerium montis nemus, & iuga celsa:

Ducen-

Ducentem hanc pecudes vicina ad pascua vidit;
Bis septem cui vix ætas adoleuerat annis:
Et vix ille oculos diuinæ in lumina torsit
Virginis; accepit subitò cum turbidus ignem
Ossibus; & sensit labi per membra furorem.
Ilicet hanc iubet acciri, patriamque requirit,
Et genus, vnde domo. tunc sic virgo orsa repente est.
Quid frustra genus, & patriam, nomenq; requiris?
Serua ego sum Christi; cui mens obnoxia seruit;
Cui mea virginitas deuota est: nam mihi testis
Ille sua est nostra qui nos à morte redemit.
Protinus hanc famuli vicina ad mœnia ducunt;
Vrbis vbi, clarumque genus, nomenque parentis
Commemorat; seseque fidem, & vestigia Christi,
Sanctaque iussa sequi. cæco tum carcere Præses
Includi iubet hanc, cum noctem sidera ducunt.
Et iam Sol rebus infusa luce colorem
Reddiderat; solioque sedens Olibrius alto,
Vicinos circum proceres in templa vocabat,
Ficta templa deæ Synæ; quam gens colit omnis;
Quæ circũ regna ampla habitat: tunc ducitur ingens
Victima: quam Syriæque deæ, Phœboque Sacerdos
Ornatus palma crines in limine mactat.
Parte alia iuxta celsi penetralia templi
Fronde coronatus cedri, myrtoque iuuencus
Marmoreum effuso tingebat sanguine limen:
Atque alius pecudem intonsam iugulabat in ignes;
Et thura Assyrijs miscebat odoribus: & iam
Finis erat, & honos aris iam factus, & omnis
Gens ibat: memor inclusæ cum virginis heros
Olibrius iubet hanc ad publica sacra vocari:
Et Margariten dictis compellat amaris.

Hos cedri ramos adole rerum inscia virgo;
Imbueq; aurato cratere altaria: nec iam
Nutricis data te moueant praecepta furentis;
Aut morere ante aras, veluti noua victima, summo
Grata Ioui; & sacro persolue in limine poenas.
At, de more, coles caeso si sacra cruore,
Te mihi connubio, & felici foedere iungam:
Ostroq;, argentoq; teges tua corpora, & auro:
Et Syriae incedes magnas noua nupta per vrbes.
Tunc virgo geminas acies erexit ad altum
Aethera; caelestemq; Patrem sic voce precata est.
Da mihi sancte Pater, cui mens mea cognita dudū,
Omne genus nunc posse necis perferre, minasque:
Et sciat ille Iouis quam sit spernenda potestas:
Et quae me teneat Christi fiducia, cernat.
Tu verò illusas auro saeuissime vestes,
Donaque parce tuis (si qua est tibi cura tuorum)
Aequalesq; tuo generi ne despice tedas.
Tunc Praeses grauiter dictis commotus in iras
Exarsit, tristesq; parat de virgine poenas
Sumere: tunc illam spoliant, lacerantq; flagello
Corpora; marmoreosq; sacer cruor abluit artus.
Non aliter tenero manant de corpore guttae
Sanguineae; quam riuus aquae labentis ab alta
Rupe ciens raucum campi per scrupea murmur.
Verberibus famuli instabant; dum vincla satelles
Necteret; vt vinctam traherent Iouis ante nefandum,
Et vanum numen: virgo sed nulla recusat
Vincla pati, poenasq;, neget dum sacra, Iouemque,
Temnatq; immundis positos altaribus ignes;
At proceres tenera conceptum in virgine robur
Mirati, & subita moti pietate, rigabant

Ora

Ora pijs lachrymis; sanctosq; inflectere sensus
Quærebant Margaritæ; mœstique tyrannum
Poscebant veniam pro virgine; quos tamen omnes
Voce graui increpuit, nec non consulta refellit.
Auertit Præses oculos, nec cernere quiuit
Sanguine respersos artus, & liuida membra
Verberibus. tunc sede sedens sublimis eburna,
Deuinctam includi tenebroso in carcere iussit.
Ecce autem virgo in tenebris dum clausa iaceret;
Assiduasq; preces prostrata effunderet alto
Pectore; non animum diuersis territa pœnis:
Illi monstrum ingens exerto apparuit ore,
Ore uomens atros flammati sulfuris ignes.
In spiram serpens mox se collegit, & ora
Pandit; vt ore fero sacros absumeret artus.
Ipsa sed horribili nec quicquam exterrita monstro:
Sed fidens Domino, frontem cruce signat, biantesq;
Ingreditur fauces; & viscera laxa draconis.
Nec mora perfractis (visu mirabile) costis
Procumbens iacuit per humum. illa ilicet aluo
Exilit; ingentes & agit seruata parenti
Aeterno grates; concussaq; pectora firmat.
Terdenos iacuit Soles inclusa sub alto
Carcere; vbi assiduis lachrymis, precibusq; uacabat:
Vt mentem, viresq; sibi daret omnipotens Rex,
Sublimes cæli nutu qui temperat oras,
Aduersus Syriæ proceres, & iussa tyranni.
Iamq; alias illa ad pœnas, atq; horrida leti
Supplicia; atq; Iouis falsi deducitur ædem:
Pinguis vbi multo taurorum sanguine passim
Terra madet; tectusq; sacer velamine custos
Purpureo canos crines, solennia templis

Sacra facit; templique simul donaria seruat.
Stabat odorata ex cedro testudine templi
In media Iouis effigies; & eburna tenebat
Sceptra manu; fulmenque pedes radiabat ad imos
Ex auro. tunc ipsa comas resoluta nitentes,
Vt stetit in medio consessu, proripuit se,
Insedítque fores templi, Nabathæaque vano
Thura Ioui dare iussa, Iouem despexit, & omnes
Assyriæ gentis diuos; quos illa negauit
Esse deos; sed monstra imo damnata profundo.
Olibrius grauiter neglecta ob numina sæuit:
Non aliter, quam sæuus aper graue vulnus in armo
Accipiens; cum mortiferos euadere morsus,
Oraque aperta canum nequit, & iam tendere in altos
Non audet saltus, nec se se opponere telis
Venantûm, mouet arma acuens in prælia dentes.
In pœnas sic mentem acuit Syrus asper, & iras
Aggerat: vlciscique deos, quos illa negarat,
Decreuit demens. mora nulla, bitumine tedas
Ardentes afferre iubet, spoliantque ministri
Hanc veste: & corpus flammis crepitantibus vrunt;
Et flamma ambesos artus in flumine tingunt:
Vt liquor insinuans se se per membra dolorem
Gigneret ingentem; magis & magis illa doleret:
Horror enim pacemque animi, labefactaque furtim
Membra quatit; sensus concreto sanguine torpent;
Quos vapor ignis edit, infusaque lympha per artus.
Olibri (scelus infandum) te posse putasti
Virgineos artus admotis vrere tedis;
Aut fluuio frigentis aquæ dissoluere nexus
Corporeos? tu frustra animos spe tollis inani.
Tu Margaritæ cælestis præmia vitæ,

Thesau-

Tesaurosque paras cæli sublimibus oris.
Sic ait. at virgo patitur dum immobilis vndas;
Terra fragore graui mugit: tremefactaque templi
Tecta, trabesque labant: at virgo illæsa tyranni
Constitit ante pedes; exutaque brachia vinclis
Suspexit cælum. mentem formidine cuncti
Demittunt proceres: & mox per inane columba
Lapsa polo sertum ore tulit viridantis oliuæ;
Et Margaritæ crines redimiuit: & alis
Ingenti plausu tollens se in nubila condit.
Sed dum tendit iter pennis sublime per auras;
Confestim nituere leues radiantibus auræ
Luminibus; circumq; humeros vaga flamma reluxit.
Vt volucrem populi conuentus vidit ab alto
Labentem cælo, & cæli regna alta petentem,
Virginis intactosque artus; & labe carentes:
Tollebant proni palmas, Christumque canebant:
Ob Christum nec vincla pati, mortemque negabant.
Ille insperatas multo cum murmure voces
Hausit vt; & populum tendentem ad sidera vultus,
Et patrios clara spernentem voce penates:
Quattuor actutum damnauit millia morti
Olibrius, cædique iubet. tunc protinus vltro
Vnanimes obiere diem: nec barbara quisquam
Iussa horret, commissa timens: sed ne sua Christum
Regna faterentur Præses; iubet ocyus ense
Virginis abscindi caput; auulsumque reponi
Ante oculos; gaudetque tuens delubra profano
Structa Ioui tunc virgineo respersa cruore:
Et mentem nequit expleri; dum cæsa virorum
Corpora tot templi scelerato in limine cernit.

AD BERNARDINVM Risium de Cuppis Episcopum Auximatem.

ARGVMENTVM.

Arbor infanti Christo prætereunti incuruata.

Bernardine audi factum admirabile Christi
Infantis: qui dum furibundi Herodis et arma,
Atque minas fugeret, peteretq; Aegyptia regna;
Illi ingens arbor sese incuruauit; & imam
Actutum tetigit deuexo vertice terram.
Mirum equidem plantas, fabricataq; numina saxo
Agnouisse Deum: Solymorumq; impia corda
Nunquam cognouisse suum, rerumq; parentem.
Admonitus Patre ab æterno dum carperet atram
Sub noctem somnos Ioseph, vt tenderet oras
Cum puero in Pharias tacitus, pueriq; parente;
Herodes properabat atrox nam quærere Christum,
Vt leto daret infantem: consurgit auitis
Sedibus, & piceæ per amica silentia noctis
Ad iussum se accingit iter, patriamq; relinquit;
Aegyptumq; petit. postquam autem venit ad ipsam
Thebaidis paruam Hermopolim, portamq; patentem,
Accessit, qua sese arbos tollebat ad auras
Maxima, frondosum caput, & sua brachia pandens:
Quæ responsa dabat populis, gentique propinquæ:

Ceu concussa foret Borea, vel fulmine ab alto
Tacta polo; se se inflexit, tetigitq; comanti
Vertice prona solum, tanquam venerata tremendum
Prætereuntis heri numen, nostræq; salutis
Auctorem Christum infantem, pariterq; parentem.
Quæ sic curua diu mansit, lætissima donec
Terra ministrauit vires, roburq;, vigoremque
Infudit solitum plantæ: mirabile vt esset
Testis in hoc factum cunctis mortalibus. olim
Indigenæ hinc populi in dubijs responsa petebant:
Quæ quondam è cælo depulsus Lucifer, illis
Reddebat; recti quem gens ignara colebat.
Aufugit subitò ille furens, vt vidit ab alto
Vertice deuexas toto cum stipite frondes.
Falsorumq; deum effigies de marmore, & ære
Perculsæ Christi aduentu cecidere repente
Per fora, perq; domos, nec non per templa, viasque.
Arboris at folia, & fructus, cortexq; solebant
Confestim cunctos hominum depellere morbos;
Siquis læsa super membra imposuisset, & ipsum
In sua vota Deum lachrymis, precibusq; vocasset.

AD IOANNEM BAPTISTAM Cannanum Ferrariensem.

ARGVMENTVM.

Mirifica herbæ uis Christi statuã contingẽtis.

Conuenit hæc Cannane tibi mea pagina: nã tu
Es solitus membris hominum depellere morbos;
Cum mussat medicina graui deuicta dolore

Languentis, mecum tu nunc miraberis huius
Vimque, potestatemq; herbæ: quæ cognita non est,
Nata nec herbosis Marsorum montibus: at tu
Pars animi Cannane mei non parua, leuisque,
Fronte leges læta hos; magna quos mittit ab vrbe
Romulidum tuus ex animo tibi Gambara versus.
Mortales vitam Christus dum viueret inter;
Et modò Idumæas, modo Iudæ inuiseret oras,
Et claram modò Hierusalem, vicinaq; circum
Oppida tot, spargens diuini semina verbi,
Solueret atq; hominum linguas, aperiret & aures;
Tolleret & morbos; primiq; piacula patris.
Tunc fama tantorum operum commota, reliquit
Eoas quæ iam cursu penetrauerat oras;
Paneadem mulier patriam, populosq; petiuit
Iudææ horribili morbo correpta, diuq;
Languida; quã miseram quæsitæ haud montibus herbæ
Inuisent, medicæue manus: confisaq; Christi
Auxilio tantùm vehementi ardebat amore
Sacratæ digitis limbum contingere vestis:
Quo tactu longam vim morbi euadere posse
Sperabat tanta hanc tenuit fiducia; quæ non
Illius mentem, atque animum, curamue fefellit.
Vidit enim vt Christum tendentem ad tecta Iairi,
Ingentiq; virum circunseptum comitatu;
Miscuit huic turbæ se se, Christiq; fluentem
Extremam tetigit vestem, fluidusque recessit
Sanguinis actutum squalenti è corpore fluxus:
Confestimq; illi fugit dolor omnis in auras,
Et solitæ vires membris rediere; abijtq;
Pallidus ore color, atque illam cura reliquit
Anxia. dehinc patriam redijt, Christiq; verendam

Ex ære effigiem fieri mandauit; eamq;
Illa domus propriæ ante fores, limenq; locauit.
Aenea vestis erat tenui circundata limbo:
Effigies Christi dextram tendebat in ipsam
Phœnissam, quæ se se etiam formauerat ære
Illo eodem, & manibus iunctis, & poplite flexo
In Christum fixos oculos læta tenebat;
Atque videbatur Domino persoluere grates;
Qui se se cura nuper, morboq; leuarat;
Incolumem, ac lætam reddens patriæq; suisque.
Inter erat namque illa suos non vltima ciues
Progenie, quæ iam in medicos effuderat omnem
Rem patriam fluxum bissenos passa per annos.
Ante pedes sacræ succreuit imaginis herba,
Herba salutifera, & morbis immitibus apta;
Vertice fulua suo cum tangeret æra virenti,
Et partem extremam lænæ: namq; herba potentem
Vim tactu limbi subito sumebat: & omnes
Languentes varijs morbis, aut febre leuabat;
Letali exiguo madefacti graminis haustu.
Ante autem vestis quam vertice tangeret oram
Extremam; penitus nullis erat apta medendis
Corporibus: facies erat herbæ haud visa, nec vlli
Nota prius: Libani nec nata in vallibus altis.

AD FRANCISCVM BANDInum Picolhominium Archiepiſcopum Senenſem.

ARGVMENTVM.

Hebræus puer, quòd Chriſti corpus ſumpſerit, à patre irato in fornacem proiectus, à Beata Virgine incendio liberatus eſt.

DVM *canimus puero allatam* Bandine *ſalutem,*
Quam tulit, & quam ferre etiam mortalibus (*ægris,*
Alma Maria ſolet poſitis in Syrtibus audi;
Nam tanti ſeriem memorabo ex ordine facti;
Armeniæ Iudæus atrox Vitarius vrbem
Cæſaream florentem opibus, regnoque colebat.
Maſcula progenies erat huic, quæ ſola parentum
Spes erat, & denos quæ vix impleuerat annos
Cùm foret ætate tenera hic puer, addiderat ſe
Tum comitem noſtris pueris, quia par erat illis
Moribus, atque æuo parili; vicinia nanque
Iunxerat hos: & dum Mariæ ſolennia templis
Sacra ſacerdotes facerent, puer hic quoque templum
Cum ſociјs (ducente Deo) *eſt ingreſſus; ibique*
Iiſdem cum ſociјs ſacratum corpus ad aras
Oblatum Chriſti aſſumpſit: quo protinus ille
Lætitia ingenti perfuſus ſacra reliquit,
Et comites; lætusq; ſuas remeauit ad ædes.
Tunc pater admirãs, unde hæc noua gaudia, dixit,
Euenere tibi? dic ò dulciſſime nate.
Cui puer, hanc facti ſeriem, pater optime dicam.
Vicinum acceſſi templum, quo certa frequentant
Sacra

Sacra sacerdotes non nostræ gentis; ibique
Cum socijs panem, qui more offertur ad aram
Assumpsi; quo sumpto, animum noua pertentarunt
Gaudia, prout cernis: tunc verò percitus ira,
Plura loqui haud passus puerum est pater; ilicet illi
Sic succensus ait, nunc ò sate sanguine nostro,
Atque oblite sacri Mosis mandata, patrisque,
Qui te alui; meritas nunc nunc puer improbe pœnas
Crimine pro tanto solues; legemque paternam
Ob tantum scelus vlciscar. sic fatus auita
E sede eduxit puerum; ardentemq; petiuit
Fornacem, atque illum medios proiecit in ignes;
Arentesque super fasces congessit, ut artus
Inuisi teneros pueri consumeret acris
Flamma magis. Sed non cælestis defuit illi
Gratia, & auxilium magni Patris æthere ab alto
Demissum: qui tres pueros de sanguine cretos
Hæbreo iussu proiectos regis in ignes
Olim etiam pesti eripuit: qui tunc quoque septum
Ignitis uri ramis, flammaque furenti
Absumi haud passus puerum est: sed territa nati
Infando genitrix casu, quem nuntia ad auras
Attulerat fama, atque suas penetrauerat ædes,
Euolat, atque locum petit, & diffusa capillos
Per colla: implebat lachrymosis vocibus vrbem.
Atque vbi peruenit, quò nati corpus in ignes
Iecerat indignans genitor: tunc mœsta maritum
Aspiciens, illum dictis onerauit amaris.
Dilectum quondam puerum tu sæue dedisti
Ignibus infelix, qui nostræ sola senectæ
Spes erat; & quem tu toties laudare solebas?
Ah qualis te pœna manet scelerate: nec vlla

Te

Te mouit pietas, nec amor natique, meique?
Hanc lucem moror inuisam te nate perempto;
Nanque tuum haud potui funus producere, nec te
Amplecti morte in misera, nec flere, oculosq;
Claudere, supremumq; vale nec dicere; cùm sis
Candentem in cinerem versus: nec noscere possum
Ipsa tuum cinerem infelix, nec condere in vrna;
Quo gemitu fit concursus non paruus ad ipsam
Vndique fornacem accensam populiq;, patrumque.
Tunc genitrix animum ingenti turbata dolore,
Coniugis occultum facinus detexit; & vnà
Reclusere fores fornacis turba virorum:
Ignibus extractis puerum & videre iacentem
Flammam inter, molles ceu plumas inter, & ostrum,
Partē aliquā haud læsum, non vestē. tum simul omnes
Vt puerum videre, viri laudare parentem
Aeternum, atque alto palmas attollere cælo,
Atque implere locum lætis clamoribus, atque
Triste ad supplicium iuuenesque, senesque vocare
Auctorem tanti sceleris: mora nulla requirunt
Vitarium; atque illum fugientem per loca cernunt
Proxima; & arripiunt diuortia nota petentem:
Et captum in medios ignes misere trementem,
Abramumque patrem auxilio, Mosemq; vocantem;
Actutum ignitos artus, atque ossa redegit
Exiguum flamma in cinerem, spectante virorum
Ingenti cætu puero dixere ministri
Sacrorum, quis te defendit ab ignibus? ille
Pulchra suo, dixit, mulier me texit amictu,
Quæ gremio infantem puerum portabat; & à me
Dimouit crepitantem ignem, rutilasq; fauillas;
Ne teneros flamma alta meos exureret artus:

Illi

Illi persimilis mulier, mihi quæ super aram
Aede sedens visa est vestra, tunc credidit ipse;
Credidit & genitrix pueri; & gens numine sancto
Afflata ardebat sacris immergier undis;
Atque sequi Christum; fuso qui sanguine gentem
Morte sua humanam barathri de faucibus atris
Eripuit; summoq; illam transcripsit Olympo.

S. D. N. GREGORIO XIII. PONT. MAX.

Baculus Gregorij Neocęsariensis Episcopi in arborem.

ARGVMENTVM.

Cum Lycus fluuius magno cum īdigenarum damno sæpe campos inuadaret: Gregorius in eius ripa baculum fixit. nec fluuius terminum illum transgressus est: & baculus statim in arborem creuit.

ALme pater fidei tutamen, & anchora nostræ;
Quem Deus omnipotens, totiusq; arbiter æui
Tantorum populorum olim patremque, caputque
Constituit, sacroque caput diademate cinxit:
Cuique dedit supra rerum moderamina reges.
Gregorio quæ pauca super noua carmina feci;
Nomine quem sacro reddis, factisque, dicaui,
Vt teneor, pater alme tibi. sitque hæc mea quamuis
Rustica vena; tamen scit te sua carmina nunquam

Fasti-

Fastidisse; agit unde tibi pater optime grates
Immensas; sub quo nunc Principe Dardana Roma
Sidera se cæli radiantis ad aurea tollit.
Gregorius Neocæsareæ *rector fuit vrbis;*
Et tanti columen populi: curamque gerebat
Sacrarum rerum, & sacris solennia templis
Sacra ministrabat populo, populumque docebat
Aeterni præcepta Patris*; quæ dixerat olim,*
Duceret his nostris vitam dum Christus in oris.
Tempus erat, quo terra tumens genitalia poscit
Semina; & ob lapsos piceis è nubibus imbres
Tecta natant passim plenis agrestia fossis;
Fluminaque alta secant ruptis nemora ardua ripis.
Tunc Lycus oppositas rapido cum gurgite moles
Saxorum ingentes, connexaque robora vinclis
Innumeris; stagnum in magnum, magnamq; paludem
Traxerat, hibernis tumidus quam fecerat undis.
Tunc adeunt trepidæ tanto in discrimine gentes,
Quæ Neocæsaream*, vicinaque rura colebant,*
Gregorium; cuius totis notissima terris
Fama erat, & probitas uitæ, & miracula certa,
Mortali non facta manu, non carmine, & herbis;
Ast ope diuina, & summa virtute parentis,
Qui cælum ex nihilo, terramque, fretumque creauit.
Postquam autem uidere uirum, precibusq; rogarũt,
Illorum ut fessis rebus succurreret, utque
Egregiam eriperet tantis terroribus urbem
(Namque aliò montem aerium traduxerat, ædem
Conderet vt Patri æterno, rerumque parenti)
Tunc senior solita motus pietate, suorumque
Excidio; rapidum subitò contendit ad amnem,
Per campos secum pecora, atque armenta trahentem

Cum

Cum stabulis strepitu horrisono, et torrentibus vndis;
Non vllo subuectus equo, curruue sonanti:
Ast innixus iter baculo confecit acerno.
Atque ubi conspexit fluuium fecisse paludem
Immensam, & uasta indigenis cultoribus arua:
Illachrymans longùm ingemuitque, Deumque uocauit
Auxilio positis genibus prope fluminis vndam
Gregorius: mox sic inquit. Da nunc Pater aures
Alme tuas faciles nobis: nanque omnia solus
Tu potes; & solus ventis, pelagoq; tumenti
Imperitas: gentisq; tuæ miseratus acerba
Exitia, & duros casus, demersaque rura;
Affer opem, iube & hos campos ne flumen inundet
Vlterius; tumidi nam tu maris æquora rubri
Curuasti in montis faciem; quo gens tua siccis
Transiret pedibus, littusq; intacta teneret
Aegypto oppositum, Pharaonis & agmina pontus
Obrueret, Phariosq; duces, currusque volantes.
Iordanisque tuo iussu placida vnda retrorsum
Flexit iter; tenuitque suos exterrita cursus;
Transiret donec populus tuus in noua regna,
Regna Palestinæ cunctarum vberrima frugum,
Et lacte vbertim, liquidoq; fluentia melle.
Cumque suum fluuius iam defluxisset in alueum,
Hic tunc Gregorius supplex defixit in imam
Tellurem dextra baculum, quem ferre solebat.
Quid referam? dicto citius frondescere cœpit
Ille nouis folijs indutus, cortice & vdo:
Atq; acta radice comas tollebat ad auras;
Et sua curuatis huc illuc brachia densa
Pandebat, serti in morem viridantis; & atra
Currentis fluuij ripas induxerat vmbra:

Qui

Qui veluti limes positus fuit inter & agros ;
Inter & vndantem fluuium , vastamque paludem ;
Quæ solidam in terram (visu mirabile) versa est
Triticeæ & messis, vinique, oleæque feracem.
Et quoties tumet, hibernis siue imbribus amnis,
Seu niue tunc liquefacta udo sub vere quotannis ;
Ille suos intra fines se continet, & non
Arua, domosque vltra cursu deformat, & vndis :
Nam Deus hunc cæli audierat de vertice summo
Fundentem de more suo lachrymasque, precesque .

NVMI IN ROSAS,

ROSAE IN NVMOS.

Ad Caterinam Portugalliæ reginam Ioannis Regis tertij coniugem.

Titulus sit pro argumento.

C V M *iam te audierim vestigia sancta beatæ*
Elisabet, vitamque sequi; dum suggeris omnem
Pauperibus victum , & vestes ; & templa frequentas
Aeterno sacrata Deo: & ieiunia seruas,
Quæ sacræ statuunt leges Caterina: libenter
Percurre hanc facti seriem: sint carmina quamuis
Condita ab ingenio haud facili, nec diuite vena .
Tẽpore, quo passim est bruma intractabilis; & quo
Strimonias Aquilo gelidis afflatibus vndas
Asperat; & niueo tellus se vestit amictu :
Elisabet, quæ iuncta toro, tedaque iugali
Magnanimo fuerat regi; qui gentis habenas

Tunc

Tunc Lusitanæ flectebat; dedita toto
Pectore diuino cultu, & succurrere egenis;
Carcere & inclusos homines inuisere; & agros
Sueta iuuare suis opibus: cum forte superbo
Exiret thalamo, vt peteret templa ardua Patri
Sacra Deo, nummos gremio attulit; vt daret illos
Pauperibus: cui rex Dionysius obuius infit.
Quid desers regina sinu? tunc illa. rosæ sunt,
Quas dudum legi. sed secum hæc pectore versans
Rex, atque admirans: hoc ne, inquit, tempore flores
Nascuntur; late regnet cum frigidus annus;
Nec campis herbæ apparent, nec in arbore frondes?
Quæso aperi regina sinum. tunc haud graue pondus,
Vt prius, ipsa sinu sensit: nam verterat aurum
In varias Deus ipse rosas, mirabile visu:
Vt vidit rex, & cuncti videre quirites.
In thalamum virgo cum admirabunda redisset:
Et lætata rosas gremio portaret apertas;
In nummos rediere rosæ: tunc conscia facti
Elisabet retro rediit, regemque petiuit:
Atque illi seriem facti memorauit, & aurum
Ostendit gremio: tunc coniux credidit, ambasque
Extulit ad cælum palmas; celebrare parentem
Aeternum cæli haud cessans, qui cernere signum
Fecerat hoc, illum tanto dignatus honore.
Concessit dehinc reginæ Dionysius omne
Arbitrium, struere vt posset noua templa, domosque
Implicitis morbo: & fundis dotalibus auxit.

AD MARCVM ATTILIVM SERRANVM.

ARGVMENTVM.

Esculenta ob negatam eleemosynam in lapides conuersa.

SCripsimus hæc Serrane tibi; qui lumina quōdam
Pauisti aspiciens tot diti a regna, tot vrbes:
At nunc exculto dicentis ab ore Quirites
Pendent; intentum studijs maioribus, & te
Orantem coram Romano Principe vidi,
Purpureo patrum longè admirante Senatu.
Confectus senio, veterique indutus amictu,
Et lacero pauper nauem conspexit onustam
Mercibus, & multis nautis, portumq; tenentem:
Confestim deflexit iter maris æquora versus:
Hosq; salutauit nudato vertice, dicens.
Saluete erepti tumidis è fluctibus alti
Tyrrheni maris: & Domino gratissima pax sit
Vobiscum. mihi quæso inopi concedite frustum
Panis ob illius nomen; qui sanguine lauit
Crimina vestra suo, vestrum & delicta parentum.
At nauta indignans vultus auertit, amara
Bile tumens: sed cum persisteret ille rogando
Exiguam panis partem: sic nauita dixit
Indignans. longaue senex absiste precari
Vlterius: namq; hic non sunt nisi saxa; nec vllum
Quem petis ipse cibum secum uehit hæc mea puppis
(Puppis onus fuerant fructus, quos mittit Idume,

Praeter nautarum victum, & Sicyonia bacca.)
Si ratis, vt perhibes, tantum Marpesia saxa
Haec tenet: in durum vertat Deus omnia marmor.
Dixerat ista senex: abiere in saxa repente
Omnia, quae poterant mandi: & cum forte colurnis
Transfixas anates verubus versaret ad ignem
Verna puer; sensit dextra graue pondus; & illas
Vidit mutatas in leuia saxa volucres.
Feruenti & capreae partem non tollere aheno
Pertuso poterat ferro, vel viribus vllis.
Quinetiam cum verna alius melimela teneret
Terna sinu; cecidere suo cum pondere ad imam
Tellurem, roseusque pudor perstrinxit & ora,
Impubesq; genas pueri; risitque iuuentus;
Et circum rupes plausu insonuere secundo.
At rector ratis haud risit: sed pectore ab imo
Indoluit: famulisq; virum perquirere toto
Littore, littoreisque locis mandauit: at illi
Haud vnquam potuere senem reperire: licet sint
Emensi loca per valles, & proxima ponto
Littora. Sic quisquis mundi est iam stultus amator,
Atq; harum rerum cupidus, sitiensque; videt nunc
Delusisse senem nautae quid profuit: an ne
Auxerit ille suas merces, dum reppulit illum,
Fundentemque oculis lachrymas, precibusq; petentem
Exiguum panis frustum. fac tu memor esto
Quisquis es haud miserans inopem; quid fecerit illi
Omnipotens misero nautae, dum spernit egenum.

IN DIREPTIONEM VRBIS NICOSIAE.

Ad Nicolaum Ormanettum Episcopum Patauinum.

ARGVMENTVM.

Deplorat Cypri uastationem, Nicosiæque direptionem. Deinde Christum rogat; ut iram suam à nobis auertat: eamque in impios Turcas conuertat.

Nunc quoniam Ismaria Turcarũ rector ab arce
Extulit & belli signum; & crudelia bella
Mouit in insontes Venetos: quos fœdere rupto
Impius inuasit; dehinc Cypri vexit ad oras
Bellantum turmas; vrbemque obsedit, & illam
Diripuit: tu casum vrbis, plagamq; recentem
Mecum vnà defle, cladem miseratus acerbam
Ormanette: suas cui tradidit ætheris auctor
Pascendas pecudes, quæ mollia gramina tondent,
Teque bibunt liquidos fontes pastore, leuesque
Medoaci carpunt secura ad flumina somnos.
Turca ferox, animisque furens, infensus et hostis
Nominis ille tui, nunc clementissime Christe
Immeritam euertit Cyprum furialibus armis:
Euertitq; tuam gentem: fusoque tuorum
Sanguine inundarunt fossæ: ceu flumina multis
Imbribus aucta solent ripis spumare: virosque,
Fœmineumq; genus, prædamq; abduxit ad oras,

(Relli-

Relliquias belli; qua Bosphorus insonat vndis
Hellespontiacus: iacuere inhumata per agros
Corpora pugnantum: nec erat, qui rostra ferarum,
Aut volucrum arceret; nec qui tellure iacentes
Obrueret terra iniecta. tua templa tuorum
Sanguine fœdauit miles pharetratus, & ense
Horridus, & nostri sitiens, auidusque cruoris.
Tu Verò Pater omnipotens miserere gementum;
Qui summo tristes fundunt suspiria cælo;
Quos vinclis tenet ille, suæ ludibria genti,
Et, sint multa licet, tamen obliuiscere nostra
Crimina, nostrorumque patrum: procedere nec tu
Longius hanc iram permittas: quæ velut ignis
Est accensa: tuas, in nos sed mitis, habenas
Effunde irarum in Turcam; qui teque, tuosque
Despicit; atque alium, non te vocat in sua vota:
Nec fundatorem cæli, terræque fatetur:
Numen adumbratum sed adorat; & insuper illi
Templa dicat: precibusque idem tua templa nefandis
Polluit, atque tuas damnatis ritibus aras.
Affer opem: dicat ne forsitan hostis, vbi nam est
Illorum Deus? & dictis insultet amaris.
Hunc tu sterne solo, gentique obsiste feroci:
Nostraque conspiciant vindictam lumina; qua tu
Disperdes meritis infensos cladibus hostes.
Tunc tua dicemus sacris facta inclyta templis
Ante tuas positi multis cum laudibus aras.

PRO CLASSE NOSTRA IN TVRCAS ITVRA.

Ad Aloisium Atestium Cardinalem.

ARGVMENTVM.

Hortatur Aloisium Card. vt secum celebret admiranda Dei opera: rogetque eum, vt nos protegat, Turcas profliget.

INserere & nostris mens est tua nomina chartis
Princeps magne; graui quamuis sint digna cothurno
Atesti; non his nostris dicenda cicutis,
Ob longam ætatem attritis. age nunc cane mecum
Hoc carmen sacras æterni Patris ad aras:
Nanq; vides, quæ Turca ferox in nos ferat arma;
Quem nostra haud vnquam poterit subiungere classis
Bellantum ob numerum: nisi nos Deus adiuuet; et nos
Ipse suo clypeo tegat, & cælestibus armis
Tutetur; Thracumq; acies effundat in vndas.
Omnia dependent à te, cui summa potestas
O Pater est rerum; quas ingens circuit æquor.
Quis Solem, Lunæq; globum consistere iussit
In medio cæli spatio, dum sterneret hostes
Oppositos Iosue: nisi tu? nam tu quoque solus
Astrorum innumeros ignes, cælumq; creasti;
Et Solem, Lunamque. Patrem te maxima tellus,
Atque suis cum fluminibus, magnisque fatetur
Aequoribus: manuumque omnes opera alta tuarum
Concelebrant. quisnam te excepto rector, & auctor

Est orbis? tu te radianti lumine vestis,
Non trabea intertexta auro, non murice tincta.
Solus inaccessam nam tu colis ardua lucem
Astra super; nostros in te quæ intendere visus
Non sinit: haud secus, ac si quis sub sidere Cancri
Figere in aduersum Solem sua lumina vellet:
Ventorumq; super veheris per inania pennas.
Ipsa tuo iussu stat terra immota, caduntq;
Montibus è celsis rapido caua flumina cursu
Quæ gelidum tendunt iter in maria alta; nec æquor
Littoribus curuis spumat; nec rumpere fines
A te præscriptos audet. tu fulmina mittis
In terras, non Aeolijs fabricata caminis,
Vt vani referunt vates, tonitrusq; coruscant;
Atq; cadunt altis per te de nubibus imbres:
Munere quo veniunt sata læta, & montibus alni,
Atque hortis flores, & gramina mollia siluis
Quæq; etiam repunt, squamosaq; corpora ponti,
Et cæli volucres, hominesque, ferasq; creasti;
Omnia quæ pelago, & terra pascisque, fouesque.
Nam Pater es rerum, atque opifex, & deniq; custos,
Solus & omnipotens: quamuis ob crimina nobis
Eueniant mala cuncta, tamen quas fundimus audi,
Et ne sperne preces: hostis nanque impius in nos
Arma mouet; rate & ingenti sulcabit apertum
Aequor; vbi Ver exoriens tepefecerit altum
Aethera, & Ionij ventis placida unda silebit:
Armatasq; acies terra peditumque, equitumq;
Iam parat, & nostros armis inuadere portus:
Atq; Asiæ vires secum vehit, & vocat omnes
Thessaliæ populos, Thracumq; in bella cateruas:
Littora quæ seruant tumidi maris Hellesponti.

Hunc submerge Pater medijs in fluctibus hostem;
Haud secus, ac regem Aegypti: dum per freta gentem
Ille tuam peteret ferro, cursuq; fugaret.
Aut quatere audebit si nostras molibus arces;
Nobiscum aut campis acie pugnabit apertis;
Hunc sternat tua dextra solo, saeuasq; cohortes;
Haud secus, ac quondam rapidi Cisontis ad vndas
Sisara cum cecidit, Iabinque, atq; impius Ammon.
Nanq; Palestinae gentes cecidere tuorum
Bellantum gladio, & stratae sine honore sepulchri
Per campos iacuere, velut cinis, & fimus aruis:
Cognoscant vt te esse Patrem, Dominumq;, Deumq;.

ANTONIO PERENOTTO Cardinali Granuelano.

ARGVMENTVM.

Precatur Deũ pro sacra classe contra Turcas.

TV *mecum Perenotte, regis qui littus vtrumque*
Ausoniae, magno positum sub rege potentis
Hesperiae; Tagus auriferis quam scindit arenis;
Exequerisq; tui solers mandata Philippi.
Tendere se classis dum nostra accingit in hostem;
Ante aras effunde preces de more uetusto
Ad caeli, terraeq; Deum, rerumque parentem:
Vt iuuet auxilio classem, ventisq; secundis;
Augeat & nostris uires in praelia; & illos
Edoceat, dextraque tegat; roburq; tyranni
Viribus ipse suis obtundat, & obruat vndis.

Frangantur fastus illorum, animique, nec vlla
Spes illos alat vlterius: redigantur at omnes
Ad nihilum; exiguus ceu currens riuus arenas
Per bibulas, cum Sol campos salis vrit, & ether
Feruet ob Icarium sidus; pasimq; per agros
Languescunt herbæ; & rimas agit arida tellus.
In nos illorum nec vulnera dirigat ensis:
Nec mortem turbatæ acies, peditumque manipli
Effugiant miseram; sed cum bella aspera ponto
Permiscent; animam expirent fluitantibus vndis.

GRATIAS AGIT DEO pro victoria de Turcis habita.

ARGVMENTVM.

Gratias Deo agit, quòd nostræ clasi victoriam tribuerit: mox eum multis laudibus celebrat. Postremo Alexandro Farnesio Card. hoc carmen dicat, eique de Farnesij iuuenis ex eo bello reditu gratulatur.

IAM tandem Pater omnipotens dignatus ab alto
Est nostras audire preces, gemitusq; tuorum;
Ferre & opem nobis tantarum in turbine rerum;
Et post bellorum tam sæua incendia, totq;
Excisas ferro gentes, amissaque regna:
Nam nec erat spes vlla fugæ: furibundus & hostis
Terruerat pontum, & terras victricibus armis;
Et classe Adriacas valida penetrauerat oras,
Oppidaque & pelago, & terris inuaserat vrbes:

Atque inimicum ignem secum, cædesq; ferebat.
Induerat quos se in laqueos nec senserat: & nec
Quid posset, Rex ò cæli, tua dextera norat.
Vnde agimus tibi nunc tanto pro munere grates;
Et templis pia thura damus: per templa, viasq;
Debita sacra tibi canimus: nam dextera partim
Threiciam classem tua mersit in æquore: partim
In nostras impulsa manus est, te duce: & ingens
Turcarum intepuit respersus sanguine pontus.
Nam nec habet certas tua magna potentia metas,
Nec præscripta tibi est: sed tu potes omnia solus;
Tellurem & pelagi liquidas effundere in vndas;
Et mare tellurem in solidam. tibi paruit æquor,
Aequor Erythræum; Isacidæ dum robora gentis
Transirent uasti sicco pede marmora ponti:
Atque minas fugerent duri Pharaonis, & arma:
Nanque tuo iussu discessit tunc maris vnda,
Hinc, atq; hinc saxi in faciem durata repente;
Hebrææ inferrent gressus qua parte phalanges:
Quæ retro tunc deinde fluens, coniunctaq;, currus
Inuoluit pelago, Mareotidaq; arma sequentum.
Nunc verò non se pontus diuisit: at vnda
Strata, silensq;(tuo sed non sine numine) ventus
Auxilio nostris fuit: & tot nota per annos
Præteritos feritas, & formidabile nomen
Turcarum in ventos abijt: tunc gentis Iberæ,
Atq; Italæ ad cælum bellando gloria sese
Extulit: inuictamq; olim per cærula classem
Haud nostræ timuere rates: non impetus illos
Barbaricus iuuit, sparsusq; per æquora clamor.
Nam nostra haud Lunæ speciem vexilla ferebant:
Sed cruce pendentem Christum, palmasque, pedesq;,

Tra-

Traiectumq; latus ferro, pariterq; parentem
Aspera dilecti miserantem vulnera nati.
Gloria tota tua est: neque enim victoria nostro
Consilio, aut armis parta est, aut viribus vllis.
Et miles ferus ille suo sperabat in arcu,
Et gladio: quo iam toties caeso hoste triumphos
Egerat: & victor praedas portarat ad oras:
Insonat angusta qua Bosporus horrifer unda.
Quid dicam, ô Asiae regnator saeue? Deus te,
Quem colimus, meritoque sacras veneramur ad aras
Proteret: haud aliter quam laeti graminis herba est
Cornipedis pede pressa gregis. dicamq; ego. Vidi
Regem Asiae florentem opibus, regnisque potentem,
Elatumq; animo, & tumidum praecordia fastu,
Cedrum altam Libani ceu vertice: mox vbi sedem
Hanc repeto: rex non vsquam est: sed nec leuis vmbra
Corporis illius, nec gloria parta sub armis
Vlla erat: at tantum remanent uestigia rerum.
Spero aderit tempus; quo te sulcasse pigebit
Ionios fluctus, & classe intrasse profundum
Adriacum: tuaque arma armis concurrere nostris
Permisisse: Deus cum nos nunc protegat; & nunc
Pro nobis (vt tu ipse vides) bella aspera pugnet.
Tunc ego laetitia ingenti cumulabor, & axes
Vertice contingam caeli: dehinc ora resoluam
In laudes, o Christe, tuas, magniq; parentis;
Qui per te pontum, & tellurem condidit: & non
Se folia vlla mouent tanti sine numinis aura.
Cessabo & nunquam tua facta intexere nostris
Carminibus, pariterq; tuos memorare triumphos;
Nam victi cecidere hostes, pauciq; (cruore
Aspersi tamen) ad sedes rediere paternas;

Et sua viderunt versis vota irrita rebus.
Te mare, te tellus, cæli te regia laudat,
Cælestesque chori, lætaque per oppida gentes
Europæ: quæ te dominum, patremque fatentur
Cunctorum; & magna celebrant te laude; tuumq́;
Nomen, & annales condunt; quibus inclyta facta
Describunt; quæ dextra potens tua fecit in vndis
Ionijs; nostri vt valeant hæc scire nepotes:
Teque colant vnum; penes est quem quicquid ab alto
Aspectat, cæli cum Sol tenet arduus oras:
Istiusq́; sacræ memores sint lucis; & aras
Ante tuas tibi digna canant præconia laudis.
Tuque illorum animas, fuso qui sanguine pro re
Romana, sacrisque tuis, patriaque ruenti
Vulnera per mortem insignem petiere sub armis;
Sidereas supra sedes, qua fulget Olympi
Regia duc tecum; & tuta statione repone.
Et vos ætherei fontes, quos non vagus imber
Verberat; aut pedibus turbat fera, vel grauis æstus
Aut ramis folia arboreis delapsa: sed estis
Perspicui, gelidique, Deum laudate; manu qui
Pro nobis valida nostros pugnauit in hostes.
Tu quoq; Sol, qui vidisti sublimis ab alto
Aethere pugnantes pacata per æquora puppes;
Et nunc tu canere, atq; vrbis per compita pompas
Ducere solennes lætus nos aspicis: heu quàm
Exiguæ sunt, & tenues, te iudice, grates
Pro tantis in nos meritis, quæ contulit ille,
Ille sator rerum, & tanti certaminis auctor.
Iam circum septem colles, quos diuidit vnda
Tybridis, & cursu præclaram interluit vrbem,
Lætitia magna exultant: atq; ardua uoces

Terrarum lætæ ad sidera lucida iactant;
Atque nouis resonant passim concentibus auræ.
Ipsa coronatis Tuscum mare cornibus intrant
Flumina; quæ currunt de fontibus Apennini:
Certaq; venturis declarant gaudia seclis.
Tu verò ante alios Venetum clarissime Princeps
Nunc longe es felix, sub quo Deus optimus hostem
Hostem opibus, simul & terra, pelagoq; potentem
Mersit in Ionijs vndis: qui fœdere rupto
In vos insontes Venetos iam verterat arma;
Et Cypri regno expulerat, victorq; tenebat
Totius pelagi imperium. Sed det tibi tantum
Omnipotens vitæ spatium; quo cernere possis
Illum amittentem terras, amisit vt æquor;
Et dantem meritas effuso sanguine pœnas:
Pacatum & videas lætis successibus orbem.
Hæc tibi Alexander cecini; dum tu colis oras;
Vmbrosis gelidus quas Farfarus irrigat vndis:
Commissisq; tibi populis ciuilia reddis
Iura tuis: ritusq; sacros, & templa reuisis;
Inquirisq; hominum vitas. tu perlege quæ iam,
Iam toties votis optasti: & gaudia mecum
Nunc cape, et ante aras pronus, supplexq; age grates
Immensas Patri æterno; qui mersit in vndis
Ionijs Turcarum acies, inimicaque vela.
Atq; alias summo grates persolue parenti:
Qui carum in patriam, sedesq; reduxit auitas
Farnesium iuuenem; qui te quoq; nomine reddit:
Duxerat ad bellum quem clarus auunculus armis,
Illius virtutem animi, roburq; iuuentæ
Admirans; puer aduersos dum tendit in hostes.

IN REGEM TVRCARVM post amissam classem.

Ad Bartholomæum Ferrium ordinis Prędicatorum interamnatem Episcopum.

ARGVMENTVM.

Inuehitur primo in Selimum eius arrogantiam irridens. Deinde in Constantinopolim nostris spolijs ditatam.

VRbem Interamnam dum tu colis inclyte Ferri;
Sulphurea quam Nar albus præterfluit vnda,
Quo duce oues siluis commissa gramina carpunt;
Atq; bibunt puras vicini fluminis vndas:
Optatosq; ineunt subter nemora ardua somnos:
Turcarum contra regem quæ carmina dixi,
Ionio postquam persensit in æquore classem
Amissam, & nostros victricia signa tulisse
In proprias sedes, intentis auribus audi,
Quæ tibi mens Selime fuit, postquã æquore classem
Ionio amissam nuper, stragemq; tuorum
Audisti? qua confisus, te posse putabas
Non solum Adriacos fluctus, Tyrrhenaq; ponti
Cærula, & Hesperij maris æquora; sed quoq; vastos
Cannibalum penetrare sinus, victorq; referre
In patriam prædam ingentem; regesq;, ducesque
Ante tuos currus, captiuos ducere: & vrbem
Per mediam; rapida quam Bosphorus alluit vnda,
Ire inuectus equis, auro, gemmisq; superbus:

Poscere

Poscere & aethereo: temerè mortalis honores.
Namque mare vndabat bello; atq; iniecerat atrum
Tunc hominum terrorem animis tua barbara classis:
Sed nunc, en quantum tua te spes vana fefellit,
Atq; incerta uides: quoniam sic euenit illi;
Qui numero bellantum audax spem collocat omnem
In regnis, opibusq; suis, nec cogitat iram,
Quam Deus in sontes, atq; in secla impia vertit.
Et nunc à Venetis Epiri in littoris ora
Audisti euersas arces, fusasq; phalanges.
Nec dubita, ipsa manus Domini fortisque, potensque,
Quae gentem, classimq; tuam; mox te quoque victum
In nostras eadem ipsa manus, Turca impie, tradet.
Tunc ira Pater accensus nomenq;, genusque
Delebit Selime tuum: veluti per aperta
Plana lutum, valido aut puluis disiectus ab Euro.
Inque tot erumnas commissa ob nostra tyranne
Crudelis nos incidimus; quarum haud tua classis
Causa fuit, non turmae equitum, peditumq; caterua:
Sed Deus ipse tuas, nobis iratus, in iras
Nos miseros toties concessit, & oppida, & vrbes.
Et nunc, cum sit nos caelo miseratus ab alto,
Nec precibus nostris auertat (ceu prius) aures:
Iras in te acuet; quas olim exercuit in nos.
Tuque etiam tantis vrbs quondam assueta triumphis,
Nostrorum & spolijs diues; quam nunc ferus ille
Selimus premit imperio: tu turturis instar;
Quae nuper thalami consortem amisit, & implet
Flebilibus nemoris nigrantem questubus vmbram:
Mortua naualì pugna, disiectaque ponto,
Et monstris laniata feris tua corpora desle:
Et pro gemmanti palla te vestibus atris

Indue; & obscuris lachrymans te conde tenebris,
Tantæ insperatæ cladis testata dolorem
Insolitum; dehinc lætitiam, ludosq; repende
Exactos gemitu mæsto, casuq; recenti.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO GREGORIO XIII. PONTIFICI MAX.

ARGVMENTVM.

Gratulatur summo Pont. quòd in altißimo dignitatis gradu locatus sit. Deinde precatur Deum, vt Turcarũ classem in nos paratam perdat, nostram tueatur. Selimi impietatem execratur. Dei Opt. Max. ex quo cunctà pédét, opẽ implorat. Hortatur Christianos principes ad suscipiẽdum cum Turcis bellum. Postremò inuehitur in hæreticos.

PErlege non dignum quamuis te Principe carmen:
O ingens tutela hominum, & gratissima cælo
Progenies, nec non populis, qui iura sequuntur
Romana; æterniq; tenent mandata parentis.
Cui nunc cælicolum rector concessit habendum
Totius mundi imperium: & tibi tradidit vni
Possesua in terris vice fungi; qua rubet æquor
Oceanum cum Sol oritur, & quà cadit; & nos,
Et mundi hanc molem immensam sine luce relinquit.
Felix ista dies, qua te, de more, Senatus
Purpureus, dubijs rebus dum consulit, vltro

Ad

Ad celſam tanto dignatum munere ſedem
Perduxit, triplicemque auro, gemmisq; coronam
Impoſuit capiti, & rerum tibi tradita ſumma eſt.
Interea dum tu placida moderaris habena
Sancte pater Chriſti turbata per æquora cymbam,
Fluctibus in medijs quam Turca inuoluere tentat:
Hanc etiam noſtri partem lege carminis; in qua
Regem oro æternum cœli, ſubmergat vt vndis
Aequoreis claſſem illius: nec non tibi præſtet,
Commiſſam ut puppim tuta ſtatione reponas:
Quæ te rege minas Aquilonis non timet, iramque
Iſmarijs nec perſlantes de partibus Euros.
Zanclæos liquit portus tua claſſis, & oras
Trinacrias Pater omnipotens noua bella parantem
Turcarum contra regem, tellure, marique;
Atque incumbentem fractas ſarcire triremes,
Littoreisq; locis equitum diſponere turmas.
Non aliter leo ſæuit agris; infrendit & ira
Dentibus, ob thalami conſortem in vallibus Afris
Amiſſam; quam venator Maſſylus ad amnem
Cinyphium ſilua errantem proſpexit, & arcum
Intendens fregit telis letalibus armos:
Quæ iacuit denſis nemorum moritura ſub vmbris:
Quàm ferus hic claſſe amiſſa. Pater has age puppes,
Quas reparat nunc diuerſas, vbi per freta ventos
Threicios ratibus dederit Byzantius hoſtis.
Corpora deſcendant vnà cum milite, & armis
In vada cæca maris; veluti deiectus ab alto
Monte lapis latum in ſpatium, vallemque profundam.
Et tua in has gentes ira incandeſcat; vt ignis
Accenſus nemore in magno; quem flatibus Auſter
Aggreditur validis, miſcetque incendia paſſim.

Tu vero nostræ tranquillas dirige clasſi
Per pelagus Pater alme vias; ne illiſa propinquis
Muricibus; ſcopulisue, truci aut vincantur ab Euro.
Turca colit monſtrum infandum; cui tẽpla dicauit
Plurima; & ante alios cultu veneratur inani.
Condidit hic leges, quæ ſunt iuſſa impia: namque
Compellunt ſcelerare manus, atque arma cruore
Humano; regnuque ſuis vi trudere gentes.
Tu verò Selime premis qui regna, tot vrbes
Ob crudele odium, diſcordiaque arma potentum
Auſonidum: væ quanta tibi ſæuisſime damna
Euenient; cum non vltra gens Itala certet
Inter ſe ſe odiis: viden vt ſit iam tibi adempta
Spes omnis, poſſe vlterius tua tendere vela,
Vt prius; atque tuas inimico in littore puppes
Siſtere; & Iſmarias prædam conuertere ad oras.
Pro nobisque Deus pugnabit; & obruet vndis
Ipſe tuam hanc claſſem ventis turbantibus æquor.
Fruſtra animis elate geres cum milite forti
Prælia, iandudum quem miſit Iberia bello
Aſpera: & Auſoniæ tellus aſſueta triumphis
Barbaricis: non cum turmis, equitumue cateruis,
Quæ ripas habitant Euphratis, opimaque regna
Perſidis, atque domos Arabum, Nilique fluenta.
Ante igitur nobis quam Sol ſe oſtendat, & ante
Quam cadat, ò Rex omnipotens, te noſtra ſonabunt
Nablia, te citharæ, nec te mea lingua tacebit,
Dum tua tot benefacta canã. Nam quis dedit hoſtem
In noſtras Pater alme manus; quem vicimus vndis
Nuper in Ioniis, niſi tu? vel per freta quis nunc
Perducet claſſem hanc, qua perſonat Helleſpontus?
Quaue vrbem caput imperij, vicinaque circum

Oppida

Oppida tot capiet? nisi tu Deus, & tua fortis
Dextera? non ferrum, non vis humana valeret.
Nam regum Rex es: manuumque opera alta tuarū
Sidera sunt; necnon quicquid terræ ambitus ingens
Continet: & solus reges de sede potentes
Deturbas: solusque Notis, pelagique procellis
Imperitas: præsensque tuos, siue æquore vasto,
Seu pugnant tellure iuuas: das denique cunctis;
Auxilio qui te votis, precibusque vocarunt,
Ire triumphali deuicta per oppida curru.
Vos verò queis laudis amor, quibus inclyta cordi est
Gloria, & insignem factis extendere famam:
Quique Deum colitis verum, non numina falsa:
Vertite in infestum Christi vexilla tyrannum
Threicium; & vires validas effundite in hostem
Vos cuncti Europæ reges; & iungite fœdus
Aeternum inter vos: vos vnanimesque iuuate
Puppibus, atque viris instructi. cernitis æquor
Ardeat vt classe armata; quæ tendit ad oras
Odrysias: secumque vehit fortissima bello
Pectora; quæ Tybris, quæ Bætis misit in arma;
Et quæ magnanimus Venetis Leo nutrit in aruis?
Omnipotens quæ dextra Dei deducet ad oras
Quas adeunt: illosque tegens amissa reponet
In sceptra; atque armis succedent vota secundis.
Te quoque commoueant ò rex, cui Gallia paret
Inclyta tot bellis, maiorum exempla tuorum:
Illi etenim Solymas multo cum sanguine terras
Hostili eripuere manu, & crudelibus ausis.
Quis nescit sacrum bellum sub principe claro
Gallorum, & spolia ampla altis pendentia templis?
Auxilioque iuua hanc classem, quæ tendit ad oras

Hellespontiacas: vt ferro perdat, & igni
Turcarum puppes, vicina atque oppida ponto.
Insuper aspirantem illum non cernis ad orbem
Terrarum; inque dies aliena inuadere regna?
Nã modo ad Hesperios populos, modo vergit ad Indos
Et modò qua spirat Boreas, modo qua grauis Auster.
Illi nulla quies, regnandi est tanta libido;
Et sceleri scelus accumulare, & ad arma referre
Cuncta: nec esse locum pietati, aut legibus vllis.
Et quis erit demens adeò; qui dicat eundem
Vlli vnquam seruasse fidem? sed fallere semper
Assuetum Veneti norunt; quibus aurea Cypri
Regna tulit, fregitque fidem: sed conditor orbis
Illum ipsum afficit pretio; quod non sine luctu,
Lamentisque recensebit Selimia proles.
Nec dubius belli est euentus: nam Deus alto
Prospectat cælo nostras freta salsa carinas
Sulcantes: qui nos mitis non deseret vnquam.
Non secus ac prudens pastor, qui armenta, suasque
Pascentes agnoscit oues, pastusque salubrem
Ad fontem pellit; seroque ad septa reducit
Vespere; & in virides siluas agit; altus vbi Sol
Luce noua pelagi campos, cælumque reuisit;
Acribus atque oculis circumspicit omnia solers:
Atque dies, noctesque vigil pecus omne luporum
A rabido morsu, positis custodibus arcet.
At vos ò miseræ gentes, iam tabida membra;
Quæ vos supplicia expectant post funera? namque
Spreuistis Dominique vias, rectumque, piumque;
Carpitis & tanquam pecudes aconita sine vllo
Custode; & sine luce illa, quæ venit ab alto
Lumine fulgentis cæli, & felicibus oris.

Excutite

Excutite ò vestro tenebras iam pectore; & arma
Induite æternæ lucis: procul omnis abesto
Fastus; & insanæ mentis furor, iraque præceps
In nos, Romanumque patrem; qui debita Christi
Sceptra, vicesque tenet vigilans; & vota, precesque
Pro vobis fundit, Deus vt iam respiciat vos;
Inque fidem sanctam, Christique in ouile reducat:
Atque manus contra crudelem armate tyrannum
Ismarium: comitesque sacræ vos addite classi.
Vos estis miseri ante alios: nam clauditis aures:
Obscuro deprensa velut solet aspis in antro:
Ne magicos cantus, inimicaque murmura apertis
Auribus admittat, cantataque tecta relinquat:
Seruitiumque cano durum ferat abdita ligno.

AD ANSVINVM POLAM TARVISINVM.

ARGVMENTVM.

Orat Deum, vt impendentia à nobis pericula propulset. Mox deplorat Domini vineam à Lutero vastatam.

CVm furor armorũ, & lógè belli insonet horror;
Ducat & infernas pestes, & sæua malorum
Semina tartareus tenebrosa è sede tyrannus:
Tu mecum Ansuine preces dic candide Pola:
Quas nuper cecini Patris omnipotentis ad aram.
Cernimus en quæ Turca ferox, atq. impius in nos
Arma paret Pater omnipotens terraque, marique.

Nec satis hoc, tua iam populantur ouilia gentes;
Quæ rectas liquere vias, iustumque, piumque.
Hæc varios tondent saltus, dumetaque siluæ
Hercyniæ; gelidique bibunt quæ flumina Rheni:
Quosque ferus versat pastor per prata Britannus.
Insuper & mortem intentant. tu disiice campis
Instructas illorum acies, turmasque feroces.
Quin & in opprobrium nostri, tua vinea, quā tu
Ipse tuis manibus seuisti, strata recumbit.
Ad terram, tribulos inter, lappasque, rubosque:
Quam ferus est depastus aper, eductus ad vndam
Haud liquidam, tumidus qua defluit Albis in æquor.
Quòd si respicies læto nos lumine, tuti
Tunc erimus; nec erit nostris timor vllus in oris.

AD AVRELIVM PORTVLACAM BRIXIANVM in patriam euntem.

ARGVMENTVM.

Aurelium laudat: eique in patriam proficiscenti bene precatur.

AVreli nec tu nostris indictus abibis
Carminibus; qui diues opū es, clarusq; parentū
Sanguine quique animi præfulges dotibus inter
Tot claros ciues; quorum Mella irrigat agri
Aequora: namque & opes, & opem das largus egenis;
Inque pios vsus conuertis quas tibi quondam
Diuitias liquit genitor, nec publica curas

Munera

Munera: sed tota uenerans colis omnipotentem
Mente Deum, procul à populi, rerumque tumultu.
Te Deus in patriam præsens perducat euntem
Humani generis protector, teque reducat
Ad nos incolumem: atque vtinam spem ferre tui me
Hanc sinat ille idem Deus, & mea vota secundet:
Namque tui desiderium non effluet vnquam
Ex animo Aureli nostro, te Brixia donec
Ingeniis, opibusque potens, armisque tenebit.

AD IOANNEM BAPTISTAM Dionysium Auximatem Iurisconsultum.

ARGVMENTVM.

Sub Ioannis Baptistæ persona gratias agit Deo, quod se periculoso morbo liberauerit: rogatque eum, ne se deserat.

IN nostris non te tacitum Baptista relinquam
Versibus ob candorem animi, rebusque gerendis
Indefessum animum. legere hæc, quæ Gambara supplex
Nomine pauca tuo cecini, haud Baptista pigebit,
Aeterni Patris ante aras: cum Syrius agros
Vreret; atque tuos artus torreret anhela
Febris: natiuusque calor conuersus in ignem
Ferueret, atque siti vehemens te affligeret ardor;
Esset & ipsa tuæ iam spes erepta salutis.
Alme Pater, qui me reuocasti à limine leti
Nuper ad hoc dulcis vitæ spirabile lumen;
Cum membris extorqueret vis tabida vitam,
Claustraque nutarent animæ, mussaret & omnis

Victa graui medicina malo: sed numine victor
Conualui Pater alme tuo; non arte Melampi,
Non herbis, quas Appidani succidit ahena
Falce sagax mulier, non quas radice reuellit.
Dum verò mea membra vigor reget igneus, olim,
Nunc, & semper agam tanto pro munere grates:
Ipsa etiam mea lingua canet te, cum fugat astra
Sol criens, & cum tenebras inducit Olympo:
Et te promeritum dicet: nam qui tibi soli
Seruit, & ex animo credit; tua non iuga collo
Dulcia detrectans, illum tutaris ab omni
Diluuio maris irati, puppimq; reducis
Innocuam, sociosq; laborum ad littora nota:
Et dicis, Quia te mihi nunc committis, inanem
Vlterius spem non pasces; quotiesque vocabis
Auxilio me in vota malis oppressus acerbis;
His ego te eripiam subitò, duces & in aeuum
Longinquum placidam procul omni à turbine vitam:
Monstraboq; viam, cæli quæ ducit ad alta
Atria, & ad superas sedes stellantis Olympi.
Respice me Pater alme tuo cum numine: nam te
Haud mea vota latent: tu me rege, tuq; sub vmbra
Alarum tege me solita pietate tuarum.
Vt ceruus silua à canibus deprehensus iniqua
Mergere fonte cupit longo labra arida cursu,
Postquam vngues, morsusq; canũ, locaq; aspera victor
Euasit; non insidias, non tela sequentum
Permetuens, nemorum recubat securus in vmbra:
Sic ego te Pater omnipotens: nam lucidus es fons,
Dulcis, & egelidus, liquidarumq; auctor aquarum;
Nanque tuo uiuos fontes, & flumina iussu
Fuderunt rigidæ cautes; cum duceret olim

Pingui-

Pinguibus è campis, quos Nili interluit vnda,
Ad vitreas Iordanis aquas, promissaq; regna;
Post domitum signis regem; mersumq; profundo,
Dilectum populum per mille pericula Moses.
Adq; tuos si quis fontes (seu mollia fragra
Verna puer legit in silnis; siue area flauos
Alta teret paleæ culmos; siue vua colorem
Iam ducit matura suum; seu flumina pigro
Stent immota gelu per brumam) accedat, & vndam
Hauriat, haud vltrà sitiet: nec vallibus altis
Perspicuos fontes, aut uitea pocula queret.
Ad quem igitur miser, & rebus diffisus egenis
Confugiam Deus omnipotens? ad te nisi certum
Præsidium miseris? tu clemens dirige nostras
Per pelagus Pater alme vias: da sistere portu
Naufraga vela, volensq; tuo nos numine serua.

AD IOANNEM BAPTISTAM STELLAM BRIXIANVM,

VINCENTII F. MONACHVM CASINENSEM,

Et eiusdem Congregationis Procuratorem Generalem.

LAVRENTII GAMBARAE Brixiani.

IDYLLIA SACRA.

AD IOANNEM BAPTISTAM STELLAM BRIXIANVM.

HOC etiã, paruũ quamuis Stella accipe carmen
Quod mihi nõ Musæ, aut vanus dictauit Apollo
Tybridis ad virides ripas: sed flaminis almi
Spiritus, ac Patris, & nati fiducia, quæ me
Nunquam destituit; cum sim Permessidos vndam
Fluminis, & vatum nugas oblitus inanes;
Et chorus Aonidum nostris longe exulet oris.
Tu vero insignis cantu, & testudine Dauid;
Et doctus res venturas prædicere; & ipsum
Carminibus laudare Deum; qui gurgite rubro
Immersit Pharias vna cum rege phalangas;
Dilectumque sibi populum, qui iam mare siccis
Transierat pedibus, tuta seruauit in acta:
Adsis o tua dum sequimur vestigia, quem iam
Versantem liquidi pecudes Iordanis ad amnem
Post varios rerum euentus, tantosque labores,
Aerumnasque graues regali in sede locauit.
Vt tu diuinas cecinisti carmine laudes:
Sic ego nunc pia sacra canam, quæ grata Deo sint
O vtinam; vocesque meas dimittat in aures
Ipse suas; qui cuncta audit, cernitque, regitque.

IDYLLIVM I.

Dicat Deo hæc carmina.

REX regũ, & rerũ custos, hominumq; redẽptor,
Verus & omnipotens, verus Deus accipe partẽ
Carminis hanc etiam nostri; facque insuper, vt sit
Aure tua dignum hoc carmen, sint & mea vota:
Nam potes: & veniam poscentem respice tandem:
Iam peccatorum magna sub mole laboro.
Et nec agas pro iure tuo, Pater optime, mecum:
Namque cadam causa, cum sim reus; vtere sed tu
Nunc pietate tua, solitus qua parcere sonti es;
Meque tuos duc per calles, vbi regia sedes
Est tua, felicesque animæ tua iussa secutæ.

IDYLLIVM II.

Dicit, se Deum laudaturum, & malorum commercia vitaturum.

TE, Pater, ipse canã omnipotẽs per carmina sa-
Atq; tuas laudes: nec te mea lingua silebit (cra,
Et placidum, & facilem, solitumq; ignoscere lapsis:
Nam quæ sceptra tenes, tua sunt, nec subdita certis
Legibus, vt reges alij; at potes omnia solus:
Cumque voles æther pulcherrimus, altaque ab altis
Sedibus astra cadent; tellusque ardebit, & æquor.
Ipse quidem summa vigilans ego nitar opum ui,
Vt iustumque, piumque colam, nec criminis vnquam
Sim reus: at quibus est absentes rodere amicos
Mos malus, atque suis illorum carpere vitam

Versibus

Versibus; atque odisse bonos; & fallere norunt:
Atque petunt fraude insontes: hi limine nostro
Longe aberunt; mensæque aliqua nec parte fruentur.
Nec me per noctis tenebras comitabitur vnquam;
Munere qui victus fas omne abrupit; & auxit
Fœnore rem patriam turpi; pressitque clientem.
Hic nunquam se posse domos Stellantis Olympi
Scandere; nec summi faciem spectare parentis
Infelix olim speret post funera; & ipsam
Exactam luxu, & vana inter gaudia vitam.

IDYLLIVM III.

Deum rerum omnium conditorem celebrat.

PErpetuum te rectorem rerumque, hominumque,
Atq; orbis, Pater alme, canam: namq; oĩa, quæ Sol
Aspicit, Eois cum sese ostentat ab oris,
Et cum discedens linquit sine lumine terras,
Formasti propriys manibus: quæ cuncta creasti
Ad varios vsus hominum; mox insuper illos
Tantarum rerum dominos, terraque, marisque
Fecisti; atque illis placuit submittere cuncta;
Quæ virides late pascunt animalia lucos:
Quæque secant late magnum per inane volatu
Aëra, quæque natant subter freta monstra profundi:
Vnde tui irradians maiestas nominis inter
Mortales, cæli supra sese extulit arces.

IDYL-

IDYLLIVM IV.

Omnes beatorũ cœtus Dei laudes cõcinunt.

VNanimes, Pater omnipotens, Pater alme Deũ te
Laudamus; vnumq; Deum, dominumq; fatemur.
Te Patrem æternum veneratur littus vtrumque.
Te pennata cohors, feliciaque agmina cæli,
Atque potestates sublimi uoce uicissim
Insigni tē laude canunt super omnia, quæ tu
Fecisti; & cæli spatiosa per atria dicunt
Ter sanctũ, atq; Deum nostrũ, dominum que, Patremq;
Te celebrant: cum cuncta tuo sint numine plena;
Qua sol luce sua lustrat, dum circuit oras
Aethereas, tractusque maris, terrasque patentes
Atque tibi adsurgunt gentes felicis olympi;
Et duodena cohors comitum te Christe tuorum
Concelebrat, fudit quæ pro te cæsa cruorem:
Quorum vox late Hesperias peruenit ad oras;
Et Numidum, Indorumque domos & uos quoq; uates
Abramidæ, quibus ore dedit prædicere nati
Aduentum Deus ipse sui, & rerum abdita; uosque,
Qui quondam sparso meruistis prima cruore
Præmia: nunc pueri dominum laudate supremum.
Vos quoque uirginei cœtus, quibus vna fuit mens,
Vna pudorem ipsum a teneris coluisse; nec vnquam
Connubij subijsse toros, nec floris honorem
Virginei amisisse; Deum laudate parentem
Immensæ maiestatis. vos & quoque sancti
Cæsariem lauro insignes; palmasque ferentes
Dextera Idumæas alacres, & vestibus albis
Induti, immensas Patri vos dicite laudes;

Cælestique simul diuini numinis auræ.

Teq́; etiam Christe vnigenam, magnoq́; parenti
Aequalem canimus: summi tu magna parentis
Gloria, stellantisq́; poli: dignatus & aluo es
Tu de virginea nasci: tu funus acerbum
Pro genere humano es passus; quod sanguine et ipsa
Morte redemisti; patefactaq́; ianua cæli
Est nece, Christe, tua, tua sunt qui iussa secuti.

Aeterni patris æternus tu filius, & rex
Gloriæ; & ad dextram Patris omnipotentis, et aureo
Ipse sedes solio sublimi in vertice cæli.

Venturumq́; diem te iudice credimus olim;
Quo tu digna malis, & iustis præmia reddes.

Tu nobis igitur succurre precantibus, & nos
Aspice; sulcantesq́; euersa tot æquora ventis
Innocuos serua, & dextram ne subtrahe nobis
Omnipotens Pater, & tuta statione repone.

IDYLLIVM V.

Orat Deum, ut suas preces audiat.

HAs humiles, Pater alme, preces quas fundimus ad
Aure benigna audi; nec tu permitte precãtis (te
Has vaga flabra ferant cæli per inania voces
Effusas, medium quum roscida Luna teneret
Stellantis cæli spatium; & mortalia passim
Pectora velaret fusco sopor altus amictu.

Vt taurus gemit incurui sub pondere aratri;
Mercibus & premitur multis ut puppis onusta,
Quæ nocte in media validis agitatur ab Austris:
Sic ego nunc vitam ipse agito sub mole malorum

Tanto-

Tantorum, quæ iam merui, nec ferre recuso
Supplicium, pœnamq; pati, tua dum sit apud me
Gratia; qua fretus non tela inimica timebo,
Non hominum occultas fraudes, linguamq; veneno
Infectam; miseroq; mihi succurre, tuisque
Auribus has admitte preces; mihi teque roganti
Da facilem; dum Christe sines me carpere cæli
Huius vitales auras, vitamque relinquam.

IDYLLIVM VI.

Deus malos perdet, bonos tuetur.

INfelix erit ille, Deum qui mente, animoque
Non amat, atque illum, Christi qui numẽ adorat;
Tanquam se: qui diuitias, qui quærit honores
Humanos, populisue cupit dare iura subactis;
Quique alio vultum auertit, ne cernat egenum,
Et plenum vlceribus, stratumq; ad limina templi.
Hæc gens praua virum, semperq; obnoxia culpæ,
Cera velut rapidis flammis admota liquescet,
Et fluet. ac veluti torris consumptus ab igne
Vertitur in cinerem tepidum, tenuemq; fauillam,
Deficiet: velutiq; alto vaga flumina ponto
Mersa suum amittunt nomen: sic cuncta peribunt
Nomina peruersorum hominum post funera tandem
Ipsorum: at iustum clypeo, dextraq; fouebit
Omnipotens; nec erit toto leue nomen in orbe
Illius: atq; manu larga succurret, opemq;
Adferet: ut proprio capiat quæsita labore
Præmia, & optatos fructus; facietq; parentem
Illum vxor prole egregia; cernetq; nepotes

Virtute insignes & felix transiget æuum
Vir iustus, noxaque carens: nam conditor alti
Aetheris, & terræ non illum linquet; & illi
Spem nunquam eripiet, dubijs quæ sola periclis
Solatur positos homines: spernetque furentes
Ionij fluctus pelagi: ceu saxea rupes
Sueta maris perferre minas, hyemesque, notosque.

IDYLLIVM VII.

Orat Deum, vt sibi faueat: Hæbreorumque impietatem detestatur.

SPem nostrā in te vno, Pater alme, locauimus omnē
Aetherea qui sede sedes, & lumine puro
Prospectas benefacta hominum, & malefacta; videsq;
Illorum mentem, atque animum: ne linque periclis
In tantis nunc nos positos: tu qui potes hostem,
Hostem animis nimiū fidentem, & robore, & armis,
Atque opibus prosterne solo, facque vt sua tela
Sacrilega contorta manu sint irrita, nec nos
Attingant; clypeoque tuo nos protege; semper
Protegere insontes solitus: tu rite rebellem
Multasti populum Hebræum; qui teque, tuosque
Posthabuit sacros diuerso in tempore ritus:
Namque hæc progenies meritorum oblita tuorum,
Et peruersa deos coluit, quos terra colebat
Extera, numinibusque nouis sacra publica fecit
Ille tibi populus carus ceu filius, instar
Numinis ille bouem coluit; seque ipse nefandis
Gentibus, & sacris illarum immiscuit vnà;
Liminaque (infandum) sparsit, arasque cruore

Natorum,

Natorum; ignotisque deis Panchaeia thura
Saepe dedit, ausus ipsis mactare bidentes:
Et donis cumulare aras; quamuis memor icti
Foederis Abrahamo cum patre, & patribus; ipsis
Duxisti populum incolumem de finibus ingens
Quos nilus secat in patriam, promissaque regna.
Mersisti & Pharias vna cum rege phalangas
In mare Erythraeum; & populus tuus aequoris oras
Transiuit siccis pedibus: fax praeuia noctem,
Perque diem hunc nubes duxit; fontesque vicissim,
Curuaque inundarunt torrentia flumina passim.
Tu nostri miserere precor, velut ipse rebelli
Saepe pepercisti huic populo: deliquimus in te;
Linquendo tua iussa; & nos peccasse fatemur;
Et precibus pacem petimus: tua gratia semper
Nos foueat; clypeoque tuo nos protege contra
Illum hostem, quem tu pepulisti e sedibus alti
Aetheris in barathri sedes, obscuraque regna.

IDYLLIVM VIII.

Dum orat, vt sibi peccata remittat.

CHriste nouã templo tibi quam sacrauimus arã
Respice; et haec etiã, sint paruula munera quãuis,
Vera Dei soboles, lumenque, & vera parentis
Gloria; teque animis (si fas est) insere nostris;
Sisque pius, clemensque mihi: mea crimina cuncta
Sunt tibi nota satis: nam tu mortalia solus
Corda hominum, mentemq; vides; nec fallere quisquã
Te potis est. tua iusta premat ne me ira merentem,
Non caeli aethereas sedes; sed tartara, & vmbras;

Quod seruant regnum fratres, inamabile regnum
Lucifugæ, quondam cælo gens pulsa supremo.
Hos immane nefas ausos tua dextera ad imos
Detrusit sine luce locos, mersitq; profundo:
Quando illos tenuit regni tam dira cupido.
Sed mihi da, ut delicta fleam mea, Christe, priusquã
Tendam iter ad terram picea caligine mersam,
Et plenam gemituque, & flebilibus lamentis:
Sustineam ut meritas commissa ob crimina pœnas:
Et perpessus ero meritas cum denique pœnas;
Lustrabis tu me folijs, thyrsoque virentis
Hyssopi; & nitidus tunc tali aspergine vincam
Scythonias candore niues, & cana ligustra:
Ac superas potero cæli conscendere sedes.

IDYLLIVM IX.

Ne ingrati simus in Christum, qui tot beneficia in nos contulit.

VErũ hominẽ, verũ esse Deũ te Christe fatemur;
Et vasti ante orbis primordia, & omnia secla
Te genitum Patre ab æterno; & de virgine natum
Flaminis afflatu sacri: sumpsisseq; serui
Formam hominis, fragilesq; artus: & more vetusto
Mortua iam tua membra nouo tumulata sepulchro;
Et superas rediisse auras, cum fulsit ab ortu
Tertia lux nitidi solis, terrasq; retexit.
Et tamen ex animo non te veneramur, ut ipsi
Debemus; cum pro nobis crudelia passus
Verbera sis, sæuamq; necem: sed quis ferus, atroxque,
Et malus, & male gratus erit, & barbarus in te?

Qui te non noctem, atq; diem perquirat, ametq;
Te solum; & contemnat opes orientis, & Hermi
Omne aurum, gemmasque, legit quas littore rubri
Nauta maris? mihi des oro producere soles
Hos vitæ paucos, mihi qui Pater alme supersunt,
Criminis, & scelerum exortes: daq; insuper, vt te
Et noctes sequar, atq; dies: nec longius absim
Vngue tibi, toto meditans tua pectore iussa.

IDYLLIVM X.

Orat Deum, vt se adiuuet.

ARida sunt mea membra, velut solet arida tellus
Fontis ob exhaustos latices, & mœsta morãtes
Voce austros uocat, & iam siccis faucibus imbres;
Ipse suo proscindit agros cum Syrius æstu,
Expectat: sic te fessa hæc mea Christe senectus
Suspirat, supplexq vetat nunc te in sua vota;
Quæ te non latuere vnquàm: nam nulla, licet sit
Abdita res, te Christe latet. da pectore puro
Ipse mihi. ut possim tua iussa capessere semper:
Ingentiq; meo dexter succurre labori:
Vt valeam pietate tua me tollere ad illam
Solam cælestem patriam, vacuamq; malorum.

IDYLLIVM XI.

Deum precatur, ut nos respiciat.

SVblimi de sede tua, qua fulget Olympi
Immensa, & longe radianti regia luce,
Nullus vbi mortis timor est; sed gaudia semper.

Cælicolas æterna tenent; cantuque, sonoque
Indulget pennata cohors; insignibus & te
Concelebrant cæli late super omnia regem
Laudibus; & lætis resonat concentibus æther.
Respice nos; dextramque tuam ne subtrahe nobis.
Tuque idem tibi semper eris rectorque, Paterque
Omnipotens: non vlla vnquam ventura videbunt
Secla tuum finem; atque annorum meta tuorum
Nulla erit: illa olim quamuis voluentibus annis
Sint visura poli interitum, rerumque ruinas.

IDYLLIVM XII.

Precatur Deum, vt nos a peste, & locustis liberet.

ALme pater, cui Sol, cui Luna, & sidera soli,
Et rerũ euẽtus varij, et vaga flamina, et imbres,
Et pelagi tempestates, & tempora parent;
Respice nos: nam pestis atrox iam serpit eundo
Per varios latè populos, quos Itala tellus
Pascit; & ingentes animos attollit in horas;
Et secum fert exitium rebusque, hominique.
Nunc etiam passim valles, siluasque locustæ
Aestate in media populant frumenta, legumenque
Abstulerunt. squallent consumpta ob gramina campi.
Inuisa agricolis rubigo; atque aspera grando
Mixta notis, hyeme ac rapida cum fulmine, tantum
Haud nocuit, quantũ ista lues; quæ morsibus herbas
Et culmum, stipulamque leuem, grauidas & aristas
Consumpsit; sterilesque agros, nudosque reliquit.
Hæ rostro terram infodiunt, partuque solutæ
Sub terra haud multum effossa mille oua relinquunt,

Inuisam campis sobolem; quae veris in ortu;
Suspendit nidum tignis cum garrula hirundo:
Et laeti pascunt siluis noua gramina tauri:
Erumpunt subito rupta tellure, petuntque
Prata cateruatim, volitantque per aera densae
In morem nebulae, & veris populantur honorem.
At postquam has fecit maiores grandior aetas:
Tunc frumenta adeunt latis fluentia campis;
Et vastos reddunt consumptis messibus agros.
Tu nostri caelo, pater alme, misertus ab alto,
Agrorum, & segetum hanc labem vasto obrue ponto,
Horrisono fluctu qui littora Lydia pulsat.
Vt quondam Zephyri flatus, qua parte relinquit
Extremam Sol Hesperiam, spirauit, & illam
Perniciem rubro immersit (tua iussa) profundo:
Nam non cura hominum, non & vigilantia prodest;
Nec potis hac volucrum est dirarum extinguere peste.

IDYLLIVM XIII.

Deus bonis fauet, malos deprimit.

MOrtales longe ante alios erit ille beatus
Post obitum, nec vana fides, qui seque, suasq;
Res patris aeterni arbitrio commiserit omnes:
Nam Deus hunc amat, & iusti vestigia rectos
Per calles subito flectit; dextraque ruentem
Sustinet; ac laeua collapsum subleuat ima
A terra, votisque suis respondet, & omnem
Illi spondet opem. nec tu mouearis ab ira:
Atque tuum florentem opibus cum videris hostem,
Vicinumue elatum animo, fundisque superbum

Persas, atque nefas habitis, & fœnore turpi.
Atq; illum ad cæli fulgentia sidera quamuis
Attolli cernas, magnis & honoribus auctum;
Ne tamen inuideas illi, nec pectus habendi
Sollicitet mala cura tuum male parta: Deus nam
Has dispergit opes; veluti per prata iuuencos
Occiso pastore solet leo, iustus & agros
Ipse suos cum prole colet, illamq; suarum
Hæredem rerum, cum venerit hora relinquet
Vltima post vitam innocuam, & sine labe peractam.
Semper habet dextrā maculatam sanguine, semper
Insidias iustis parat impius, optat & omnes
Perdere: sed iustos præsens Deus aspicit, & fert
Auxilium. hi veluti cedrus, quæ vertice nata est
Frondētis Libani: aut platanus caua flumina propter,
Stellantis cæli radiantia sidera adibunt.
Impius at nullum esse Deum; pluresue recenset,
Et putat esse deos; hic tanquam puluis ab Euro
Huc illuc tenues ibit iactatus in auras.

IDYLLIVM XIV.

Deum rogat, vt se adiuuet.

CErta salus hominum, proles atq; vnica summi,
Aeterniq; Patris, nunc me me Christe periclis
Respice iactatum tantis: nam tu nisi præstes
Consuetum auxilium misero; maris obruar vnda
Adriaci: subitoq; ferox lætabitur hostis:
Namque meo insultans capiti mala multa minatur
Dicens, præualui; Deus illum liquit, opemq;
Denegat assuetam. fer opem mihi Christe supremis

In rebus

In rebus, nec me linquas; daq; insuper, vt te
Tota mente colam; & prater te ut catera semper
Despiciam, qua terra creat, quaq; educat aquor;
Atq; orientis opes, Parthorum & regna potentum.

IDYLLIVM XV.

Deũ orat, vt ipsum à maligno hoste tueatur.

OMnipotens genitor nunquam tua iussa secutos
Deseris, at clypeo tegis, & defendis ab hoste
Depulso quondam e cæli sublimibus oris;
Qui tanquam leo, quem cogit percurrere siluas
Sub noctem vesana fames; atq; obuia diro
Armenta, atque imbelle pecus prosternere morsu:
Sic animas malus ille hominum vestigat, et illas
Inuoluit mundi illecebris. tu rector Olympi
Luminibus infunde meis tua lumina; & auram
Immitte ætheream menti: ne me hostis iniquus
Iste suis captum insidijs, & fraude, doloque,
Viribus atque suis fractum se iactet: opemq;
Tu mihi da, Pater omnipotens, vt vincere possim
Has fraudes, donec uita migrare iubebis.

IDYLLIVM XVI.

Infelix malus, felix bonus: in Deo spes ponenda est.

INfelix est ille, Deum qui non timet; & qui
Mandatis, sacrisq; suis non semper inhæret.
Insonti non ille dolis, tectaue nocebit
Fraude viro: nam flabra ferent per inania cæli
Omnia, quæ molitus erat ferus hostis in illum:

Tabescetque fremens tunc, cum sua vota videbit
In celeres abijsse Notos *per nubila cæli*
Ardua: & in morem iustum subcrescere oliuæ;
Ardua quæ in vacuum pandens sua brachia, colles,
Vicinasque teget valles humentibus vmbris:
Agricolæque feret mites in tempore baccas.
At peruersus erit velut infelix oleaster
Consurgens iterum siluis, quem pene perussit
Ignis edax, nemora arderent cum frondea flammis:
Quæ forte incautis pastoribus, vt solet, alta
Exciderant silua: superarit denique tantam
Post cladem, fructus domino sed non dabit vllos.
Vt palmes non ferre potest sub fertilis ortum
Autumni (ducunt siluis cum poma colorem
Purpureum) succos vuæ, nisi manserit vna
Vitali in vitis ramo, truncoque virenti:
Sic & qui spernit Christum; & qui totus in ipso
Non manet: obseruatque illius mollia iussa:
(Namq; iugum suaue est, & onus leue) nō dabit vllos
Ille suo, veluti sperarat, tempore fructus.
Quamuis præcedant illum longo ordine gentes
Deuictæ bello quondam: inuictoque adamante,
Gemma & erythræa pectusque, & candida colla
Incingat prouectus equo: & Capitolia versus
Aurea tendat iter fidens victricibus armis:
Et iactet genus egregium, & præclara suorum
Facta patrum: nos imbelles, humilesque canemus
Te super astra Deum: *quotiesque minabitur hostis*
Perdere nos, nostrasque domos euertere, nullis
Militibus freti, aut armis opibusue; tuo sed
Auxilio; toties te in vota vocabimus vnum,
Vnum adiutoremque hominum, rerumque parentem.

IDYLLIVM XVII.

Deus ſpem in ipſo ponentes nũquam deſerit.

IN me ſpem quoniam poſuiſti, & ſemper es in me
Confiſus, non te linquam: ſeu puppe profundum
Sulcabis nocte in media, tumidusq; procellis:
Seu carpes iter in ſiluis, animalia cum ſunt
Semiſepulta graui ſomno: non vlla nocebunt
Arma inimica tibi; clypeo nam teque, tuosq;
Ipſe tegam; retegamq; dolos, fraudesq; malorum.
Nec duce me horreſcet metuenda pericula adire.
His ego tè eripiam præſens, aderoq; uocanti,
Præſidiumq; feram: tu ſcis me nanq; fuiße
Cuſtodemq; tuæ, ſeruatoremq; iuuentæ.
Confectum & ſenio, & multis iam duriter annis
Exactis, non te ſolita pietate relinquam
Deſertum, precibusq; tuis, uotisq; mouebor,
Auxiliumq; feram præſens, ſoluamq; timore:
Monſtraboq; viam haud dubiam, quæ ducit ad alta
Sidera; teq; ipſum cæli dignabor honore.

IDYLLIVM VIII.

Deus bonos protegit, malos perdit.

FLorebunt iuſti haud ſecus ac noua planta virentis
Nata Paleſtinæ lætis in collibus, atque
Culmine ceu ſummo Libani pulcherrima cedrus;
Quæ non horreſcit gelido ſpirantia ab axe
Flamina, non fœdas hiemes, non frigora Brumæ.
Gens iniuſta cadet, veluti cum ſidere primo

Autum-

Autumni folia arefcunt; atque arida passim
Mox delapsa tegunt lætum telluris honorem:
Nam quæ planta suas radices egerit altam
Sub terram in domini campis; hanc educat imber,
Hancque fouent Solis radij; totidemque tenebit
Poma, quot induerat teneris se in floribus arbos.
Iustorum est quoniam dominus non immemor illos
Protegit, atque suo tutatur numine. Christus,
Qui Sol iustitiæ est verus, defendit amantes
Iustitiæ rectos calles; hominesque relinquit
Ducentes vitam in tenebris, luxuque frequenti:
Namque bonum, quod fecit, amat Deus ipse; malumq;
Ipsi odio est, quod non fecit; punitque nocentes
Ob tectas animo fraudes, atque impia facta.

IDYLLIVM XIX.

Deplorat proxime præterita mala; & gratias agit Deo de pace.

MVlta sumus passi crudelia bella per oras
Ausoniæ, & victi dedimus victoribus arma:
Vidimus & captas vrbes, atque oppida propter
Discordes nostrorum animos, & nostra, patrumque
Crimina; perpessique sumus pestemque, famemque.
Ipse tuum, quamuis iustum, compesce furorem
In nos, o Pater alme, tuos, & conscius iræ
Parce tuæ: nam tu non es fæuire nocentes
Suetus ad extremum in miseros; sed parcere semper
Cuilibet es solitus, palmas qui tollit ad altum
Aethera, & extremis orat tua sancta periclis
Numina, vt eripias illum, casuque recenti.

Quàm lætor, dum cincta comas redit aurea terris
Pax olea Ausonijs; duce qua lætatus arator
Vertit agros ferro patrios, pastorque capellas
Ducit in herbosos saltus; vacuumque licebit
Pectus habere metu: cædesque, & crimina cedent,
Quæ secum fera bella ferunt; discordia ventos
In tenues ciuilis abit; tua munera; nuper
Quæ bonitas immensa tua, & clementia nobis
Concessit, Pater alme, tibi nunc redditur vni
Gratia pro tantis meritis: nos teque precamur,
Incolumem vt serues extento hanc tempore pacem.
Gloria debetur tibi soli: nam Deus ipse
Solus es; in terrisque tuum est venerabile nomen.

IDYLLIVM XX.

In eos, qui pœnitentiam differunt.

QVid differs miser ipse animum purgare futuru
In tempus: mentemq; oppressam tollere tantis
E tenebris claram in lucem, cælumque tueri;
Diuitias non has humiles, perituraque regna?
Ob breue curriculum vitæ, casusque sinistros
Qui vexant mortale genus, dorsoque recumbunt.
Et dicis. veniet tempus, cum crimina linquam;
Atque Deus nostri miserebitur, & mihi parcet;
Parcere iam suetus linquenti crimina: sed te,
Ah nimium miser interea dum tempora differs,
Te mors inuadet tacita, & nil tale putantem,
Immersumque malis tantis, turpique senecta;
Aeternum in somnum & tua languida lumina cōdet.
Dicere tunc poteris. Vos o mea florida rura,

Deliciæ quondam, nunc gaudia falsa valete.

IDYLLIVM XXI.

Peccatorum confeſsionem non differendam.

CRimina quid ceſſas tua tot ſcelerata fateri
Aeterno maris, & terræ, rerumque parenti?
Ah miſer, infelixque, tui & nimis immemor omni
Tempore: fac illi tua crimina multa referre
Haud pudeat merſum cœno, veluti male olens ſus.
Et te noſce: Deus tua tunc malefacta remittet;
Sint grauia illa licet; namq; exorabilis ille eſt;
Suetus & eſt hominum lacrhymis, precibusq; moueri.
Atq; erit ante alios mortales ille beatus,
Cuius facta tegit, fraudesque, atq; impia verba
In ſuperos, fratreſque ſuos mala iurgia ſummus
Omnipotens, illa immergens caligine cæca.
Quod ſi talis eris, tempeſtas nulla mali te
Inuadet: nam portus erit tibi cælicolum rex;
Atq; tuis pariter rebus, quas turbine ab atro
Eripiet; ſolidaq; dabit conſiſtere terra.
Atq; tuis præſens nunquam ſua lumina flectet
Greſibus: atque auræ vitalis amabile lumen
Carpere tunc poteris ſæuo ſecurus ab hoſte,
Inſequitur qui nos ſemper; mundiq; fugaces
Illecebras, tectis ſed non ſine fraudibus, offert:
Quem niſi tu caueas, te dira, ac certa manebit
Pœna; ad ſupplicium cum te trahet horribilis mors.

IDYLLIVM XXII.

In Deo ſpes reponenda; non in diuitijs, aut honoribus.

INfelix erit ille, ſuam qui mercibus omnem
Spem poſuit, quas Eois deuexit ab oris:
Et quas argento, & gemmis onerarat, & auro,
Innocuas puppes tuta ſtatione locauit.
Quid proſunt orientis opes, inuentaq; nuper
Tot regna occaſum nitidi ſpectantia Solis:
Et toties domuiſſe armis victricibus hoſtes;
Et bibere è gemma paterisq; ingentibus aureis,
Aut populi faſces meruiſſe, atq; urbis honores,
Et regale decus; primas ue ab origine cauſas
Tantarum (vt perhibent) rerum cognoſcere; & alti
Incrementa maris: quo ſe ordine vertat Olympus:
Si barathri flammis inuoluitur; & caret ipſo
Aeterni patris aſpectu, cœtuq; piorum,
Sanctorumq; patrum, fuſo qui ſanguine cœlum,
Aut pietate ſua meruerunt? Tu mihi mentem
Mitis Pater, colere vt valeam te pectore toto
Dum viuam; & tua ſancta ſequi mandata: viamq;
Per tenebras oſtende mihi, quibus obrutus erro,
Vt ratis excuſſo per cærula mota magiſtro.
Quin tota tellure etiam admirabile nomen
Eſſe tuum referam omnipotens: tua gloria namque
Eſt oras elata ſuper ſtellantis Olympi.

IDYL-

IDYLLIVM XXIII.

Beati qui habitant in domo tua domine.

O Pater omnipotens nostri spes vna, salusque;
Atria vt ingrediar tua da mihi regia quaeso:
Vt possim canere ipse tuas per carmina laudes.
Passer enim sua tecta habitat, & turtur opacis
In siluis nidum extruxit sub purpureum Ver;
Cum flores, herbaque audent se credere caelo;
Altorumque comae nemorum, fruticesque per agros
Frondescunt; densisque canunt auiaria siluis.
Laetitia ipsa anima exultat, cum mente reuoluo
Templa tua, atque nouis onerata altaria donis.
Qui colit hanc aedem est felix; felix quoque & ille est,
Qui tibi sacra facit. longe est mihi gratius vnam
Has aedes habitare diem; quam secula mille
Sedem aliam, licet egregiam; dominerque superbo
Parthorum regno; atque oriens mihi seruiat omnis;
Et viuam prauos inter, populumque scelestum.

IDYLLIVM XXIV.

Deus amandus; non diuitiae, aut honores.

OB gentes alius victas, subiectaque regna;
Et niueis prouectus equis Capitolia celsa
Conscendens bello rebus feliciter actis
Gaudeat: atque alius tumidus corda anxia partis
Diuitijs; dum rumpentes videt horrea fruges;
Et plenas oleo cellas, vrnisque falernis.
Ast ego non miscens curis haec gaudia, somnos

Vilibus instratis ducam sub nocte salubres,
Oblitus res humanas, at non tua iussa;
Lætitiaque fruar, quam das mihi solus in horas
Alme Pater me respiciens: daque insuper, vt te
Mente colam, donec vitalia lumina linquam.
Meque doce, vt possim vitam hanc producere tecũ:
Incautis ne virginibus quod contigit olim,
Atque mihi eueniat; quæ non sumpsere suis in
Lampadibus consuetum oleum; tardeque petentes
Auratos sponsi thalamos; in limine primo
Attonitis hæsere animis præclusa videntes
Ostia; clamassentque licet, nullus tamen illas
Admisit; mœstæque grauem ingemuere repulsam.

IDYLLIVM XXV.

Beatus qui diuina seruat mandata.

VT fidus sequitur domini vestigia seruus;
Illius & semper obseruat lumina, si quid
Imperet; exequiturque libens mandata iubentis
Confestim domini, quæ intenta acceperat aure:
Quem dominus meritum præclaro munere donat:
Sic & qui Patris æterni præcepta facessit.
Nanque anima illius cælum conscendet, & alta
Atria, quæ Deus ipse colit, patresque beati,
Gaudia quos non vana fouent, non vlla cupido
Visendi has humiles terras, paruosque nepotes:
Hos pro auita premunt non rura, aut oppida; sed sunt
Intenti laudare Deum, atque extollere cantu
Assiduo; aspectuque frui Patris omnipotentis,
Euecta est cuius trans ardua sidera longe

Gloria

Gloria, & æthereos axes; qui iustus ab alta
Insontem leuat è terrâ: celsoque superbum
Deturbat solio, regnis ne regnet auitis.

IDYLLIVM XXVI.

Rogat Deum, vt sibi ignoscat.

ME domine exaudi, et faciem ne auerte, licet sim
In tua tot meritâ in me iam collata; senectàq;
Incolumem, lapsosque simul non turpiter annos
Plenus & argento, & gemmis male gratus; amansq;
Criminis, atque tui nimis immemor: vltima quando
Non longe meta est vitæ, labentis & æui
Terminus, in morem fluuij torrentis ab alto
Vertice prærupti montis per leuia saxa.
Tu vero mihi parce Pater, mihi parce roganti,
Et robur mihi da validum; ne lumina vultu
Deiecto; & tristi claudam; condarq; sepulchro;
Hasq; humiles terras anima indignante relinquam;
Et ferar ad loca senta situ, loca mæsta tenebris
Obsita, vbi nunquam lux vlla effulget, vt oris
His superis; sed flamma rubet malèolentis Auerni.

IDYLLIVM XXVII.

Dicit se amare cælestia: terrena despicere.

VT ratis albentes tumidi maris acta per vndas,
Flamine & Aemonio Boreæ spirantis ab axe
Fluctuat huc illuc; & rimis æquor apertis
Accipit; haud sperans tantos se euadere fluctus
Posse

Posse maris cum sit sine remige; quæ cupit oram
Cernere littoream, & tuto se condere portu:
Sic ego te cupio omnipotens; nam tu mihi solus
Es Deus; atque orans nullum te præter adoro.
Te noscant omnes gentes, quæ littus Eoum,
Hesperiumq; colunt, positæ & sub sidere caneri.
Tuq; meas ne sperne preces; nam corpus ab annis
Oppressum multis torpet, frigetq; senecta:
Nam senium antiquas vires effudit in auras:
Deficit atq; animi uigor, & mea lumina languent;
Noxque mihi non grata; oriens nec sidus ab oris
Auroræ nitidam ducens lucemque, diemque.
Et nec opes, natique placent; non vnda clientum
Mane salutantum: chlamys & saturata veneno
Displicet Assyrio, sedesq; innixa columnis
Tænarijs; thalamique auro, postesque colore
Non vno picturati: quæ cuncta reliqui
Christe tuum ob nomen sanctũ, et tua numina propter.
Nec cupio hanc vitam produci longius a te;
Quæ mihi nunc superest; modo sim post funera tecum
Sedibus æthereis ciuis transcriptus Olympo.

IDYLLIVM XXVIII.

Deus non amat victimas, sed cor rectum.

Sparsa Deum Assyrijs non placat odoribus ara:
Victima nec ferro mactata in limine templi:
Nam nec eget tauris, cæso nec sanguine gaudet
Omnipotens: sua sunt nam cuncta animalia iure
Perpetuo, quæ vel frondes, vel gramina carpunt,
Quæque trahunt vitam rapto, squamosaque ponti

Proles; quaque natant magnum per inane volucres.
Non etenim te reprehendet, si non sibi tauros
Obtuleris cum sacra facis, lectasque bidentes.
Falleris, hoc si forte putas: haurire cruorem
Non illi mos est ouium; dapibusque ferinis
Non vesci, aut aliis rebus compellit egestas;
Cum sit cunctarum rerum moderator, & vnus
Arbiter; atque etiam cæli regnator, & orbis.
In rebus tu fige animum, mentemque, tuasque
Exerce vires, quæ possint tollere ad oras
Te superas, gratumque Deo te reddere in omne
Tempus, promissisque mane super omnia, quæ tu
Fecisti morbo implicitus, durisque periclis.
Atque libens cane vota Deo; & venerare parentē
Aeternum: sic victor eris tu denique, & altum
Aethera conscendes dignus cælestibus oris.

IDYLLIVM XXIX.

Precatur Deum, vt sibi faueat.

VT vigil oppressus somno cum miles in arce
Celsa agit excubias mœrens; & bruma rigenti
Tecta gelu deformat agros, siluasque, vagumque
Danubium, quamvis rapido sit flumine, sistit:
Optat surgentis vaga lumina Solis, & ortum
Luciferi, & lucem, depulsa nocte, serenam:
Mandare vt possint sua corpora lassa sopori.
Sic anima exoptat mea sese exsoluere curis
Vitæ huius; totamque ad te, Pater optime, mentem
Dirigere, & vanos hominum contemnere honores,
Diuitiasque, algam veluti, quæ pulsa profundo

E pela

E pelago vi ventorum late occupat oram
Littoream, rapidis tantum ludibria ventis.
Non igitur metuam insidias, fraudesque malorum,
Tensa nec illorum metuam mihi retia: namque
Tu dominus, rectorque meus me pascis in altis
Vallibus altorum nemorum vaga flumina iuxta,
Et nitidos fontes, fundunt vbi mollia flores
Pascua odoratos, & odori graminis herbas;
Dasq; tuum ob nomen vitam mihi, dasque salutem;
Iustitiaeque vias non falso tramite monstras
Ipse mihi; prius obliquos cum semita saltus
Deuia monstraret. quaeso, pater alme, benigna
Aure preces audire meas digneris; & oro
Innocuam vt semper vitam hanc ego te duce ducam:
Adueniat donec nostrae meta vltima vitae.
Semper ades namque ipse bonis, nec linquis; at illũ,
Cui mage praua placent, quam recta, inuoluis opacis
Iratus tenebris; ne Solis lumen, & auras
Respiciat; iaceatque situ, & pallentibus vmbris.

IDYLLIVM XXX.

Orat Deum, vt se adiuuet, malos perdat.

I *Mpius, atque exlex, scelerique obnoxius arma*
Nunc mouet insontes contra; nunc & parat illis
Insidias, captatque dolis, nec parcere nouit
Desertae dudum viduae; & genitore carentes,
Indigenasque minis vexat; gaudetque malorum
Fraudibus; inque suis exultat, & aethera tangit
Vertice, si quando cecidit nouus aduena ferro:
Atque suas maculare manus, suaque arma cruore

Innocuo, & semper sceleri scelus addere quærit:
Deinde nefas dirum sub iniquo pectore voluit,
Et fatur. Deus hæc cælo non spectat ab alto;
Non hominum res humanas intelligit, & non
Cogitat. heu deuincte graui tua lumina somno
Quisquis es: euolue hæc animo mea dicta parumper.
Qui fecit geminas cunctis mortalibus aures,
Auribus an surdis fuit ille? & lumen vtrumque
(Ornamentum ingens hominis) qui fecit, an ille
Lumina cæca habuit? non certe; Nam Deus, ipsum
Qui cælum, et terram, atque animalia cuncta creauit;
Omnia & exaudit vigilans, atque omnia cernit
Peruersum omnipotens tua dextra euertat: eumq;
Iratus compesce tuo de more furentem;
Et cadat in laqueos, nobis quos ille parauit
Impius, & scelerum inuentor; frustraque laborem
Se capere insomnem, uanoque tumescere fastu
Se putet; et formatum hominem, in cineremq; reuerti,
Criminibus plenum innumeris, animique dolore.
Tu me igitur, Pater alme, tuo cum flamine sancto
Respice, tendentem iam pridem ad curua senectæ
Tempora: & incolumem serua venientibus annis:
Vt possim canere æterno tibi sacra parenti.
Atque hanc vipeream prolem, prauosq; veluti vas
Fictile frange manu, demerganturque profundum
In pelagus, veluti lapis ingens lapsus ab alto
Vertice vicini montis, qui teque, tuosque
Cælicolas spernunt, ficta aut pietate colunt te

IDYL-

IDYLLIVM XXXI.

Infelix qui alijs sapit, sibi non sapit.

DIC quia mente audes magni enumerare parẽtis
Mandata, Abramidũq; simul rerũ abdita vatũ,
Et pactum, pepigit quod iam cum patribus olim,
Qui Solymæ coluere domos, atq; oppida circum:
Cum tibi sint odio vitæ monimenta beatæ,
Quæ cæli ad conuexa viam, & sublimia pandunt
Sidera: & interdum laudet cum perfida labris
Extremis tua lingua Deum, non mente, animoque:
Vt miles celebrans belli certamina, qui mox
Et pugnas fugit, & nunquam prorumpit in hostem:
Te iungis comitem furtis, cum nox ruit atra,
Et tegit æthereos tractus nigrantibus umbris:
Sollicitasque toros alios, iam factus adulter:
Nec parcis consanguineos tu lædere; nec non
Fœdere amicitiæ iunctum, impugnasq; tabellas
Pauperis hæredis semper, quem diues in actis
Fecerat hæredem fundi, rerumq; suarum:
Dasque operam infelix secretis artibus; & te
Posse putas res venturas prædicere; vitaque
Exortes superas reuocare ad luminis oras.
Conueniunt tantum ista Deo; haud mortalibus vllis.
Hæc quia dum faceres siluit Deus: ipse putasti
Esse tui illum ipsum similem. ne crede: Deus nam
Ante oculos scelera ista tuos, & crimina ponet:
Criminibusq; pares pœnas mox ipse rependet.
Ille igitur miser est, qui sacra volumina voluit,
Atq; palam docet, aut scriptis exponit; & illa
Non seruat: sterilem hic curuo proscindit arenam

Vomere, & incautus mandat sua semina solis
Alitibus: mandata prius cum feceris ipse
In terris Christus; sacri dehinc semina verbi
Seuerit in populos, diues quos pauit Idume;
Quique leues hausere vndas Iordanis amœni.

IDYLLIVM XXXII.

Nunquam cessemus bene operari, & Deum laudare.

Nos, qui mortales cupimus conscendere cæli
Atria, cælestumq; domos habitare quietas,
Frigoris, atq; æstus vacuas, & mortis acerbæ,
Immunesq; metus: duros imitemur agrestes:
Illi etenim exercent tauros, & farra subactis
Vomere committunt campis, alacresq; labori
Non parcunt; semperq; suis versantur in agris,
Arida dum terra est; dum campis imminet imber.
Et serere inuitant surgentia sidera fruges.
Exercere iubet sic nos Pater ætheris, atq;
Spargere per populos diuini semina verbi;
Atq; iuuare inopem, dum nos superamus, & aura
Vescimur ætherea: debemus nostraque summo
Reddere vota Patri, qui nos à morte reducet
In cæli nitidas sedes; namque est bonus ille,
Et pius, atq; agnoscit oues, quæ florea siluis
Prata suis tondent: atq; ille agnoscitur illis.
Concelebrent omnes Dominum, qui cærula verrunt
Nauigiis; quiq; arua colunt; quiq; arma sequuntur
Tristia, quique regunt vrbes; & pastor in altis
Qui pecudes siluis pascit, fortesq; iuuencos.

Et nos laudemus dominum; qui condidit orbem
Terrarum, caliq; domos; & nos quoque limo
Formauit proprijs manibus; nec finximus ipsi
Nos ipsos: sumus illius sed origine ab ipsa
Clarum opus: atq; ideo dicemus carmine honorem,
Dum licet, æterno Patri; quoniam mora mortis
Terrificæ breuis est homini, propter mala multa,
Et varios rerum euentus; quæ parcere nulli
Nouit, & æquali metitur lance colonos,
Et reges: quanquam hi populis dominentur, & illi
Rura habitent procul à rebus, populiq; tumultu.

IDYLLIVM XXXIII.

A bonis operibus non desistendum.

RESpicias nunquam retro, cœptumq; relinquas
Nunquā opus; eueniant quāuis aduersa: vigil sed
Obserues mandata Dei, quem tu ipse potentem
Omnia scis; qui te insidijs, manibusq; timentem
Peruersorum hominum eripiet. tu prouidus omnem
Impendes curam, tibi ne contingat, vt olim
Vxori Loth; arderent cum mœnia, & omnis
Vrbs Sodomæ, circumq; vrbes, atq; oppida: quæ cum
Incauta ad Sodomæ flammas sua lumina retro
Verteret; in statuam salis est conuersa repente,
Ob iussa æterni non obseruata parentis.
Nos igitur, dum tempus adest, patiensq; laborum
Est ætas; semper fugiamus & ocia, inanes
Et curas; Dominique viam, monitusq; sequamur:
Atque viam sceleris nunquam ingrediamur apertam;
Humanum genus ad tenebras quæ ducit Auerni.

Huius enim vitæ nobis adducere habenas,
Et premere omnipotens dum cæli carpimus auras
Permisit Pater; atque dedit quæ continet ingens
Oceani maris vnda, solumque immobile dono:

IDYLLIVM XXXIV.

Infelicem illum, qui pauperi non subuenit.

PIcta aulæa tegunt muros, & mensa tapetis
Effulget super impositis; & quos alit altus
Alipedes Agragas ostro insternuntur, & auro;
Atque ardent auro currus, equitumque cateruæ;
Induiturque canis Tyrio Melitæus amictu,
Non aptus defendere herum, non pellere fures;
Deliciæ tantum domini, dominæque voluptas;
Quæ tepida hunc mergit lympha, villosaque curat
Corpora depectens, lotumque reponit ad ignem,
Cum campos nix alta tegit, nec flumina possunt
Ob glaciem concreta suos euoluere cursus:
Atque eodem dormit strato, quo sedula coniux:
Tantus amor canis est, tanta est ea gloria curæ;
Stratus humi & nudus iacet ad tua limina pauper:
Tuque falerna bibis, dapibusque epularis ad ignem:
Ille sitit, frustraque fores, atque ostia saxo,
Nodoso aut pulsat baculo, frustraque precatur,
Et nec habet catulis quæ dantur frusta, nec vllas
Diuitis e mensa micas miser ille cadentes.
Quin etiam totes multos tua farra per annos
Vidisti seruata situ putrescere turpi,
Quæ Prætor corrupta ςauum proiecit in amnem:
Et merito, quoniam non es miseratus egenos

H Pallentes

Pallentes rabida ora fame: tuaque ordea ponti
Progenies consumpsit edax, quæ tu ipse negasti
Pauperibus, socijsque tuis, tu tartara adibis
Impia, & inuisas cunctis mortalibus oras
Illi autem arboreas sedes, & amabile regnum
Visuri Patrem æternum, rerumque parentem.

IDYLLIVM XXXV.

Non terrenis bonis fidendum, sed Deo.

ELatum ne tolle animum peccator; abundes
Diuitijs licet Attalicis, deniclaque regnis
Addideris noua regna tuis: nam cornua franget
Hæc tua sic sublata Deus, nec tangere cæli
Astra sinet; opere in medio sed inania linquet
Hæc tua vota miser: nam qui regit ætheris oras
Imperium te maius habet: incertaque vitæ
Meta vetat certum nobis promittere tempus.
Spem si fors dederit tibi læta iuuenta tuis te
Rebus posse frui, & longum promiserit æuum,
Et canos capiti: tu spes male cautus inanes,
Et stolidus pasces: nam nos haud fidere rebus
Possumus humanis, cito quæ labuntur, & vno
Tramite se haud sistunt, nec certa in sede morantur:
Præmia sed Christus quæ dat mortalibus, illa
Sunt certa, æternumq; manent, dum viuimus, & post
Funera nos fruimur cælo tellure relicta.
Pauperis et quoniam clamorem haud accipis aure
Intenta: cum tu implebis clamore frequenti
Aethereas cæli sedes; non clamor ad aures
Perueniet Patris ille tuus, qui temperat axes
Sidereos. Et mortales erit ille beatus

Ante alios etiam, qui non fastidit egentem
Oppressum, immersumq; malis; sed subuenit omni
Cura inopi rebus proprijs, tacitusq; laborem
Non intermittit, nec opem negat ille supremam.
Audiet hunc cœli residens in vertice summo
Christus, & attentas aduertet questibus aures.

IDYLLIVM XXXVI.

Extremi iudicij memores bene operemur.

INstigat dum te peccandi tetra libido:
Ante oculos primum ipse tuos tibi pone tribunal,
Quo Christus iudex in maiestate sedebit:
Quem circum adstabunt trepida formidine gentes,
Conspectu attonitæ illius; quæ littora seruant
Oceani, & terræ spatium diademate reges
Deposito tristes ibunt: male parta relinquet
Diues auarus, & aurati laquearia tecti:
Fascibus & positis ibunt longo ordine ciues,
Obliti quondam magni pia iussa parentis;
Atq; palam scelera illorum, & commissa patescent.
Crimina: lucifugæ adsistent, gens impia, fratres
Sedibus æthereis pulsi, præseq; ferentes
Obductos flammis vultus, & faucibus ignem
Spirantes sument ob tanta piacula pœnas,
Postquam damnati fuerint, & regna tenebunt
Senta situ, & tenebris, æterna atq; obsita nocte.
Has cunctas superat pœnas, non cernere vultus
Posse Patris, natique simul, & flaminis almi,
Posse nec æthereas cœli conscendere sedes.
Hos etiam insequitur miseros infamia, et ingens

Dede-

Dedecus, opprobriumq; trahi cum ad tristia sese
Tartara conspicient, barathriq; ad turbida regna,
Regna scelestum hominũ, nec non habitanda malignis
Spiritibus, cæli pulsis de vertice quondam.
Hunc timeas male caute diem; namq; ille silentem
Sub noctem improuiso aderit, tacitus veluti fur.
Tu vigila, & totis adnitere viribus, & te
Collige; & has vanas mundi spes temne: tuasq;
Sponte voluptates duris compesce lupatis.

IDYLLIVM XXXVII.

Nõ inuidendum diuitibus, & laute viuẽtibus.

E S S E *aliquem tumidum multis præcordia fundis*
Fulgentemue auro vestes, generisq; sonantem
Nomina clara sui non admirabere; nec tu
Inuideas: nam non aurum, aut res parta sub armis,
Gloriaue morientem illum comitabitur; atq;
Inuisas homini sedes, umbrasq; petentem
Tartareas: namq; ille domos, promissaque regna
Oblitus Patris æterni, sibi vixit, & omne
Aeuum consumpsit luxu, rebusque secundis;
Et pecudum in morem iucunda per otia duxit
Aetatem; similemq; illis se fecit in ipso
Interitu, vitaque. Meos *tu dirige gressus*
Per calles, Pater *alme, tuos: tu certa salutis*
Es via, spesq; mea es solus: precor ablue sordes,
In quas non vnquam ipse, tua pietate, relabar.

IDYLLIVM XXXVIII.

Malorum, ſimul & iuſtorum mores deſcribit.

SQuallida ne tua ſit facies, ieiunia dum tu
Obſeruas, clauſusque tuo interiore cubili
Orabis: quoties & tu ſuccurris egeno,
Quid faciat tua dextra ignoret læua: ſecus ſi
Quis faciet; Deus ipſe alio ſua lumina vertet;
Et merito; quoniam gaudet popularibus auris.
Et quia mercedem tulit hic, ne ſperet olympi
Scandere regna poli, ſedes nec adire beatas.
Væ quibus illecebræ placuere, atque otia tantum,
Inſidiæ, fraudes, & non conceſſa voluptas,
Quæ ſola eſt genitrix, cunctorum atq; eſca malorum;
Incertique aleæ iactus, pictæque tabellæ
Euentus: & qui ludens verba impia fundit
In Chriſti intactam matrem, ſuperosque, Deumque.
Aethereas ij non ſperent conſcendere ſedes.
Vir iuſtus lucro ſemper proponet honeſtum,
Rectum & in dubijs rebus, pariterque ſecundis,
Reiicietque alto vultu data dona nocentum,
Flagitiumque magis, quàm mortem horrebit acerbam.
Ille etiam montem domini conſcendet, ibique
Fronte gradum ſiſtet læta, qui ſanguine dextram
Non tinxit, nocuit ve inopi, nec mente reuoluit
Res vanas, odit ve bonos, ſcelerisue nefandi
Conſcius, in fraudem vicini iurat amici.
Quique ſuum reſponſorem non fallit, itemque
Irrita qui nunquam fecit ſua verba petenti.

IDYLLIVM XXIX.

Inuehitur in poetas impios.

AH quantũ miser ille, placet cui carmina tantũ
Turpia, quiq; canũt tot furta inhonesta deorũ,
Et versa in varias illorum corpora formas;
Inter se & tantas animis discordibus iras.
Hæc Teucris fauet, hæc Danais; cum turpibus ipse
Turpis agit superis conuiuia Iuppiter alto,
Et spectat pugnas bellantum, atque arma cruore
Sparsa hominum: dolet atque animo Sarpedona leto
Eripere haud potuisse: dolet quod dura resistant
Fata suis desiderijs: tu conspice qualis
Sit deus hic; sibi quem finxit gens prisca supremum.
Vt tegeret natum bello Venus ipsa cruore
Tincta manum longe illacrymat gemuitque Gradiuus
Bellorum deus hostili percussus ab hasta:
Opis & Aruntem Latijs prostrauit in aruis,
Et falsi fugere dei, cum tristia bella
Inferrent superis Phlegræa in valle gigantes.
Atque satus Flora, & Zephyro, & puer Ilia proles
Astragalis cælo ludunt: tribuistis honores
Diuinos, & thura viris Panchæa dedistis,
Debita dona Deo vero, haud mortalibus vllis.
Vos quondam egregij vates, & nunc quoque vates
Egregij, quorum sunt condita corpora saxis;
Cum vos nunc habeant iam tartara: dicite magni
Graiugenæ, an sit ibi Ditis Proserpina coniux,
Infernæque domus regina, & Cerberus ore
Horrendum resonet durissima regna trifauci;
Sint & Aloidæ, Briareus, ac mille ferarum
Mon-

Mõstra; et an ille senex animas trans flumina Charon
Portet adhuc stygia cymba; vel crimina Minos,
Et vitas hominum discat; saxumque reuoluat
Sisyphus; an ne etiam nunc lumine vestiat æther
Purpureo Elysij campos; vbi læta iuuentus,
Atque alij Heroes fulua luctantur arena,
Aut faciles ducunt choreas, & membra palestra
Exercent perfusa oleo; Eridanique per altas
Depascuntur equi siluas ad lata fluenta.
Nunc vos aspicere haud cæli conuexa potestis,
Cælicolumque domos, summi & Patris ardua tecta,
Damnati æternis tenebris ob conscia falsi
Pectora, & insertas tot vestra in carmina nugas.
Ah miseri vates, & nescia pectora verum
Dicere: vos sedes tenebrosa incingit Auerni
Horrentis, toties vestris celebrata camœnis:
Nunc vana inspicitis sint vestra poemata quantum;
Falsa ausi vestris intexere numina chartis.
Vos Patris æterni sedem, requiemque bonorum
Fecistis turpe hospitium obscœnumque lupanar;
Et totum implestis varijs erroribus orbem.
Omnia quæ falsò vates cecinere Pelasgi;
Atque nouos finxere deos; hominesque nefandos,
Et regno tumidos, quorum fuit impia vita,
Proh scelus, hos dixere deos, cæloque locarunt
Indigetes, arasque illis posuere per orbem.

IDYL-

IDYLLIVM XL.

Precemur Deũ, vt nos à Turcarũ classe tueat.

VNanimes Patrem æternum nos rite precemur,
Vt velit à nostris ceruicibus ipse malorum
Tantorum molem immensam depellere, quæ nos
Deprimit incumbens humeris. vos cernite vt hostis
Mille trophæa suis lætis successibus addat:
Seu campis sese credit, pelagóve patenti:
Threicius nam miles arat iam classe profundum,
Et petit Hadriacas ratibus victricibus vndas;
Et dirum fert exitium, & bella impia secum.

IDYLLIVM XLI.

Felix qui iustitiam colit, & pietatem amat.

O Nimium felix, nec non fine fine beatus,
Qui fine labe agitat æuũ, fine fraude, doloque,
Qui loquitur quod sentit idem, iustique, bonique
Cultor, & in rebus cunctis studiosus honesti,
Contemptorque sui, quamuis sit diuite censu,
Atque referre queat proauos, & clara suorum
Nomina, & illustri deductam sanguine gentem.
Gratus & ille Deo est, qui cum committere posset
Crimina, consiliumque sequi, prauosque malorum
Conuentus, sese abstinuit, voluitque bonorum
Ire viam, pœna haud barathri perterritus vlla,
Non graue supplicium metuens; sed amore parentis
Aeterni tantum, penetrare hic atria cæli,
Atque beatorum speret iam candidus oras.

IDYLLIVM XLII.

Naufragium imprecatur Turcarum classi.

Alme Pater miserere Italum, atq; auerte furentē
Arcibus Ausonijs vna cum milite sæuo
Turcarum regem, iam nunc maria aspera cælo
Miscentem, & portus armata classe petentem
Hesperios sub vere nouo; qui perdere ferro
Nos quærit, terrasque tuas, extremaque regna
Insequitur: rapido immergat tua dextera classem
Ismariam pelago, cum primum littora linquet,
Insonat angusta qua Bosphorus horrifer vnda
Fictilis vrna velut delapsa è culmine tecti
Saxa super; sic illa cauis impulsa cauernis
Spumantes scopulos inter frangatur, & vndas.

IDYLLIVM XLIII.

Piorum animabus bene precatur.

Mortales qui dum fragilis hæc vita manebat
Te solum coluere Deum, semperque vocarunt
Auxilio in rebus dubijs, sæuisque periclis:
Horum animas pietate tua, sator optime rerum,
Sidereas supra sedes, qua fulget Olympi
Regia, duc tecum, & tuta statione repone.

IDYL-

IDYLLIVM XLIV.

Deum; quem omnes beati laudant, orat, vt Turcas perdat.

Quem nos esse Patrē haud genitū, et sine fine sate
Et sine prīcipio; quē nos et credim' ipsum (mur,
Illum ipsum è nihilo terras fecisse, fretumque,
Et cælum, cælique domos, hominesque, ferasque:
Quo sine nec folia vlla cadunt: nos respice ab alta
Sede Pater; vbi te assidua celebrantque, canuntque
Laude acies iuuenum aligerum, vatumque piorum,
Incaluere Deo quorum sacra pectora; & illi
Te laudant; quorum insonuit terraque, marique
Vox, qua Sol oritur, & qua decedit; & altum
Aethera; terrarumq; orbem sine luce relinquit.
Quique etiam effuso meruerunt sanguine palmam;
Et muliebre genus, cuius fuit inclyta cordi
Virginitas, & amor, & mens imbuta pudore,
Virgineus chorus est superis gratissimus; atque
Cælestum regi, cuius caput est pia Virgo,
Qua Christus nasci voluit: felixq; erit ille,
Qui mundi illecebras spernit, illasque perosus
Contendit fœdo nunquam se subdere amori.
Atque tibi æqualem natum, verumque perenni
Laude canunt; nec laude tuus sanctus sine magna est
Spiritus. Ad dextram sed tu dum Christe parentis
Aeterni venerande sedes, nos tu quoque ab alto
Respicias, pretio ipse tui quos sanguinis olim
Emisti; facilemq; manum ne subtrahe nobis
Consuetam ferre auxilium: nam cernis Olympi
Alta sede sedens, in nos quæ nunc ferus arma

Impia Turca paret miseros terraque, marique:
Quasque Asiæ vires secum vehat, & vocet omnes
Thessaliæ populos, Thracumque in bella catervas,
Littora quæ servant rapidi maris Hellesponti;
Hic dirum fert exitium, & bella horrida secum;
Armorum sonitus, belli & furor intrepidus omnis:
Hunc tumidis, Pater alme, immerge in fluctibus hostes,
Haud secus ac regem Ægypti, dum per freta gentem
Ille tuam ferroque petit, cursuq; fatigat.
Respice nos pressos tantorum mole malorum:
Namq; erimus sine te, tanquam ratis acta per æquor
Turbine, & horrisonis ventis, piceaque procella;
Nempe tuam imploramus opem; velut arida longo
Tempore terra solet, quam deseruere cadentes
Nubibus è nigris imbres, quæ mœsta notesque
Imbriferos sicco ore uocat; dum cernit aperta
Prata per arentes herbas, sua pignora quondam.
Te freti in te uno spem nostram figimus omnem;
Te nostras audire preces, te nota precamur;
Desere tantarum ne nos in turbine rerum,
Atque inter sævi funesta pericula belli:
Sit satis immitem toties egisse triumphos;
Nec semel (heu) nostras vrbes vexasse nefandis
Excidijs, & victorem spolia ampla tulisse.

IDYLLIVM XLV.

Vinea sterilis à domino deseretur.

Vinea cum domini bene culta, & septa virenti
Sepe foret, et structa domus de marmore vivo;
Celaque, & eduro confecta è stipite prela:

Cum

Cum mites vuas debebat ferre; labruscas
Immites ingrata tulit. Tunc pectus amara
Accensus ira Dominus, *quid fecerit illi*
Nunc audi: rigido rusco, densisque ligustris,
Vepribus & sepem intextam; munimen ad omnes
Armenti ingressus auidi, furumque, ferarumque
Euellet, ruet atque domos sublimis ab alto
Culmine; & è terra surgentes atteret herbas.
Vinea & infelix non falce putabitur vnquam
Tam dilecta olim Domino: *non amplius illam*
Agricolæ adiungent vlmis, farcireue sepem
Cura erit, & nullo pubescet vinea fœtu;
Et circum arescent vlmi; capræque licebit
Reddere tunc illam sterilem: solersque colonus
Non glebas franget ferro: non frondibus idem
Icarij vites stella exoriente leuabit.
Illudentque illi vaccæ, taurique, gregesque:
Atque nocens circum taxus consurget, & asper
Carduus; & duræ reuirescent vndique sentes.
Non hædis cadet è cælo surgentibus imber:
Non gelidus super arentes ros decidet herbas.
Cumque hiemi ver imbriferum succedet, & illi
Succedet frondosa æstas, grauidusque autumnus
Aestati; paliurum inter, herbasque nocentes,
Lappasque, horrentesque rubos deserta iacebit.
Quisquis non surdas habet aures, audiat, omniq;
Intendat studio, curaque, acrique labore;
Vt commissa sibi sit vinea culta, labruscasque
Haud ferat; at dulces lætis cum frondibus vuas:
Nec desint liquidi fontes, fugiensue per alta
Gramina riuus aquæ cælo cum Sirius ardet:
Nec validis parcat rastris, cum sidera poscunt.

FINIS.

Series Chartarum.

† A B C D E F G H.

Omnia ſunt integra folia.

R O M AE,

Apud Hæredes Antonij Bladij Impreſſores Camerales. 1577.